

N. M. II, 53.

(X1877921)

h. 8, 4.

DISSERTATIO INAUGURALIS
De

JURE ALBI-
NAGII

II k
2656

Ad
Auth. Omnes peregrini. C. Comm. de success.

Quam

EX DECRETO

MAGNIFICI & NOBILISSIMI

JURISCONSULTORUM COLLEGII

IN ILLUSTRITREBOCCORUM
ACADEMIA

Pro

LICENTIA

Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia

DOCTORALIA

consequendi

IN SOLENNI DOCTORUM CONSESSU

Publica Censura submittit

JODOCUS HACKMANN,

Stada - Bremensis.

Ad d. 14 Octobr. h. l. g. conf.

ARGENTORATI,


Literis JOHANNIS WELPERI.

ANNO M. DC. LXVIII.

F.







Lectori Salutem!



Eminum hodiè in Jure philo-
sophantium Magnus ævi nostri Ictus
in exquisitissimâ, super inexploratam
Juris materiam, diatribe, errorem per-
stringit. Alterum quidem eorum,
qui faciles inanibus, ac λεπτολογημάτων
amantissimi, in rebus, quæ usum neque theoreticum
neque practicum præstant, occupentur, nec tamen se
invenisse, quod pueri in fabâ, videri velint: Alterum
illorum, qui tritissima Juris argumenta ad nauseam
usque recoquendo, tumultuarias, ex Jurisprudentiæ
nostræ antesignanis, disputationes concinnent: *Cùm*
interim tot supersint in Utroq; Jure materiæ, tot tituli,
tot leges, quæ subinde operam eorum, quibus sua tempo-
ra feliciùs currunt, efflagitent. Ego, ut nondum idem,
ita nec de ullius, in hoc genere, labore judicare susti-
nens; non potui tamen usque adeò incorruptum
Tanti Viri, in re, nec iræ nec studio obnoxia, iudicium
non admirari, ut ad illius observantiam cultumq; to-
tus sine ambitione accenderer. Et fortiùs quidem,
ut ad tam egregii Doctoris mentem me componen-
do, impræsentiarum aliquid auderem, impulit; quòd,
cùm post exantlata feliciter, in Utroque Jure, Exami-
na, cathedralem sine Præside discursum capeffere ju-
berer, id mihi tacitè negotium dari intelligerem, ut ea

potissimùm consecraret, quæ non tam aliorum, quàm meum primariò laborem testarentur. Placuit itaq; post varias repugnantis animi rixas, hæctenus nondum elaborata, certè methodicè non tractata, materia *Juris Albinagii*. Directa hæc ad *Auth. Omnes peregrini. C. Comm. de success.* non indigna forsitan Inaugurali cathedrâ, vel ipso etiam foro censebitur. Nec deteruit, quòd fortiùs hodiè hic Juris articulus in Galliis, alibique terrarum, quàm in Imper. Rom. se exserere primo intuitu videretur. Confirmavit quippe nutantem vel solus amplissimus iste, quem tanquam causa producit, effectus: quò scil. mediante, ex hóc capite, Jure ut plurimùm Retorsionis, Germaniam nostram experiri comperimus. Nudam autè hâc vice ejus *συναγραφήν*, non nisi ipsa rei capita referentè, exhibere integrum fuit. Exactiorem diatriben temporis invidia, materiæ gravitas, alia, impræsentiarum haut indulserè. Et maximè præfixus scopus, ubi aliquando pleniùs dicere volupe erat, illicò aurem vellicans, nunc non tractatum, sed unius vix diei disputationem scribi, constantissimè monuit. Quòd si tamen in hisce aliquando labi contigerit, aut non omnia ad nauseabundum cujusvis palatum fuerint, opidò veniam merebor: impendio magis, quòd nec ullò in hâc materiâ præviò, nec aliorum semper consiliò uti commodè licuerit. Habes, Erudite ac Candide Lector, instituti nostri rationem! Huic ut nunc faveas, Jehovam, ut annuat, supplicamus,

De

De
JURE ALBINAGII

CAPUT I.

Naturam & quidditatem J. A. in Definitione nominali & reali leviter adumbratam exhibens.

§. 1. **Q**uod Ulp. l. 1. Inst. docuit, & quô sacratissimus Imp. opus incomparabile, quô Sol vix in humanis vidit majus, Pandectas exordiri dignatus est; id in omni Juris articulo, ac maximè non satis explorato, usu venire arbitramur. Et de nostrâ quidem, quam nunc exhibemus, Juris materiâ, non absurdè forsitan quis pronuntiaverit: Ignoratô hujus juris vocabulô, adhuc ipsum Jus ignorari. Ut exinde & necessitatis & justî ordinis regulam implevisse videamur, si antè, quàm ad ipsius rei exegefin descendamus, nonnulla de vocis Albinagii statu delibaverimus.

§. 2. Est autem hæc antiquissimæ rei novum planè vocabulum. Ut enim res ipsa, quam refert, non heri aut nudius tertius primùm nata existit, sed à tot jam retrò seculis in celeberrimâ Atheniensium, ac dehinc Romanorum Republ. claudit: ita contrà hæc ipsa vox, ut ut vetustissimæ rei involucrum, vix suâ novitate nota est: adeò ut longè meliori jure in nostrâ Jurisprudentiâ *novum vocabulum*, quàm Romæ olim M. Cato, vel ipse Cicero *novus homo* appelletur. Et sanè extra controversiam fore existimamus, esse hoc vocabulum neque origine Latinum, neque nostro Juri, aliisve purioris ævi Scriptoribus Romanis cognitum: sed solius sequioris ætatis fœtum, usu nunc demum receptum ac comprobatum. Quam etiam causam subesse suspicamur, quòd Forum Romanum, Goldastus, Martinius, Cnapius, aliique, hoc vocabulum sicco pede præterierint.

§. 3. Quòd igitur primò hujus vocabuli etymologiam at-
tinet, spretâ derivatione illâ Stoicâ, quam Chassanæus, Boë-
rius, Molinæus, P. Greg. aliique doctissimi viri amplectuntur,
quòd Albinagium dicatur, *quasi alibi natorum*: veros suos na-
tales Galliæ vindicamus. Et quî aliter fieri potuit, quàm ut
hoc Jus in eâ potissimùm gente, in quâ posteriori ævo, pristi-
nâ ac antiquâ suâ sede exutum, perpetuam sibi sedem fixisse;
in aliis verò tantùm morari aut peregrinari videtur, sibi etiam
nomen imponi pateretur? Descendit verò ex Gallica voce
aulbein vel aulbain (aubein) quâ denotatur peregrinus vel ad-
vena; *estranger habitué en quelque ville hors de son pays*:
Unde assumptâ terminatione latinâ formavêre Ambanus & Al-
binus: quò posteriori intra Regnum Galliæ, locò purioris vo-
cabuli, peregrinus, utuntur plurimùm, & nos aliquando pro re
natâ, tanquam terminum technicum, & apprimè ipsi materiæ
convenientem, in hac dissertatione usurpaturi sumus. Quòd
autem à peregrino potissimùm hoc Jus suam denominationem
acceperit, hujus evidentissima est ratio, quòd circa peregrinum,
tanquam adæquatum suum subjectum, occupetur, viresq; suas
quàm efficacissimè exserat: prout id ex subsequenti tractatione
sole meridiano clariùs patefcet. Galli aliàs in sua vernacula ter-
minum hunc Latino - Gallicum, Albinagium, purè exprimunt
per τὸ aubaine vel aubeine: quod similiter denominatur à præ-
dicta voce aubain, & aliquando ita nudè, sapissimè verò cum ad-
juncto, droit d' aubaine effertur, ad excludendam æquivocatio-
nem in voce aubaine latentem: ut quâ aliquando non hoc i-
psum Jus, sed bona hoc Jure vacantia, aut potius quasi vacan-
tia, denotantur. Et referenda huc est non uniformis vocabuli
Albinagii lectio, dum promiscuè scribi animadvertimus: Albi-
nagium, Albanagium & Albenagium: Albinatum, Albanatum,
& Albenatum. A quibus adhuc longiùs recedens glossa vocat
Albenam, in pragm. sanct. tit. de colla. §. Veruntamen. in verb.
liberiùs.

§. 4. Circa *ἐπινομήτιον* brevissimè notamus, capi aliquan-
do apud ipsos Gallos (ut colligere est ex iis, quæ tradit Bernard
de Girard lib. 3. de l' estat & succès des affaires de France) droit
d' aubeine generalius, ut complectatur Jus vacationis, quod aliàs
peculiari

peculiari ac proprio suo nomine appellant *droit de desherance*. Quæ acceptio ut planè impropria est ac contra vim vocis; ita rarior ac omni studio fugienda: ne jura inter se maximè distincta confundantur, ac Jus Albinagii, quod soli Principi competit, falsò ad altum etiam Justitiarium deferatur. Hinc Jus Albinagii propriè ac ex naturâ & vi vocis ufurpatur tantùm pro illo Jure, quò solus Princeps circa bona peregrinorum, in Regno sine prævia adoptione Regia morientium, disponit: cujus definitionem mox subjiciemus.

§. 5. Ratione *συνομινας* occurrit vox *Advenatum*: quâ inter alios novissimè usus est Magnif. Dn. Brunnem. *Comm. in Cod. ad Auth. Omnes peregrini. Comm. de success.* Et exactissimè correspondet τῶν *Albinagium*; quòd sicut hæc à Gallicâ voce *aubain*, quæ peregrinum designat: ita ista à Latina voce *advena*; & sic utraque abs suo subjecto denominationem accipit. Quamvis hoc advertendum sit, quòd etsi à Romana voce denominetur, nil minùs tamen, quàm hòc Romana vox censeferi debeat: cùm nullus ejus apud priscæ puritatis Romanos usus deprehendatur, nec legitimam pariat sequelam: Denominatur à Romana voce, E. & Romana est.

§. 6. Cæterùm deficiente nobis in hoc Juris articulo, aptiori, quod fori Romani sit, vocabulò; non dubitaverim, posse hodie hoc Jus nostrum non adedò absurdè (quicquid hîc contradicat Kirchn. *de Republ. disp. 7. th. 2.*) latinissimo ac planè Ciceroniano vocabulo appellari *Ius Applicationis*. Quod & quale fuerit, describit Cicero *Ep. ad Q. Fr. & l. 1. de orat. Quid? quod item in centumvirali judicio certatum esse accepimus? qui Romam in exilium venisset, cui Romæ exulare jus esset, si se ad aliquem, quasi patronum applicuisset, intestatog, esset mortuus, nonne in eâ causâ Ius Applicationis obscurum sanè & ignotum, patefactum in judicio atque illustratum fuisset.* Etsi verò hinc liquiddissimè pateat, nec sine inscitix nota negari possit, fuisse apud veteres Romanos inter hoc Jus Applicationis & nostrum Jus Albinagii, cujus speciale ac proprium nomen, quò olim apud Romanos insignitum fuisset, nuspiam reperimus, notissimam quandam differentiam: (quòd Jus Applicationis causam in exulibus clientelæ contineat, ac clientela quasi contractus hujus
juris

juris sit: in Jure verò Albinagii nulla nisi peregrinitatis causa existat, nulla clientela, nullum patrocinium singulare, nulla applicatio) Non tamen obstat, quòd minùs hæc Jura ob insignem suam, ex aliis rationibus & causis, inter se affinitatem conferri ac elegantissimum nomen, *Ius Applicationis*, (postquam res per hoc quondam denotata jam pridem in desuetudinem abiit, ut nec quicquam præter nudum hoc ejus nomen hodiè existet) optimâ ratione ad *Ius Albinagii* hodiè transferri queat. Et quis adeò in Lingua Romana hospes est, qui ignoret, vel sexcenta in eâ dari exempla, quæ abundè declarant, re antiquatâ ac cum ipsâ veteri Romanorum Republ. quasi excisâ, nomina tamen remansisse, ac ea hodiè, aliis denuò rebus imposita, ex sola illarum rerum similitudine æstimari? Nec satis firmiter contra hæc concludit Kirchn. *alleg. loc.* argumentando à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Ut nec Bodinus hæc ratione (nisi si id aliâ mente fecerit) ipsius Kirchneri censurâ meruerit, quòd hæc Jura *l. 1. c. 6. de Republ.* amicabiliter colligando dicat: *Ius illud sive Applicationis, sive Albinagii &c.* Hoc certè non capimus, quòd Cicero *alleg. loc.* Jus Applicationis vocet obscurum ac ignotum. Quî enim id temporibus Ciceronis obscurum, aut Cicero-ri, Tanto Viro, ignotum esse potuit? Equidem vel hujus meminisse videtur Terent. *in Eunuch. act. 5. scen. 9. una est domus, Thais patri se commendavit in clientelam & fidem: nobis dedit se.* Et in *Andriâ*: *Tum ille egens applicat primùm ad Chrysidis patrem se.* Ac imitati in hoc fuère, ut in plurimis aliis, Romani ipsos Athenienses, apud quos primò juris esse cœpit, ut peregrini se alicui opulento civi, qui postmodum ipsis succederet, in clientelam darent, dicarentque, quod appellavère *ἐπιπέρι τοποσάρην*. *Conf. Turneb. Advers. l. 24. c. 32.*

Definitio 3. Albinagii.

§. 7. Definitionem nominalem excipit realis, quam damus: Albinagium est consuetudo, quâ abdicatâ peregrinis omni
 2) testamenti factione, in bona eorum, quasi vacantia, exclusis ju-
 2) stis & legitimis hæredibus, fiscus succedit.

§. 8. Generis locò ponimus *Consuetudinem*: quam posthabitis variis acceptionibus, de quibus DD. passim, hîc accipimus propriè pro Jure, quod ex usu & moribus descendens, *l. 33. ff. de LL.* Jus non scriptum appellatur, §. 3. *l. de I. N. G. & C.* ac
 contra-

contradistinguitur Juri scripto, cujus species sunt Lex &c. §. eod. d. t. Contra quod duo nobis potissimum objici videntur: (1) quòd de Jure Albinagii plurimæ Constitutiones ac Rescripta Principum, maximè in Gallia, hodiè exstent; quæ certè nullà ratione ad Jus non scriptum, seu consuetudinem referri, sed omninò primaria Juris scripti species censerì debeant. (2) Quòd non in Regno, ubi Rex tanquam Monarcha imperat, sed in populari statu, consuetudo fieri dicatur. Quod primam Object. attinet, ea tanti ponderis non est, ut positum genus convellat. Non enim inter se pugnant, esse consuetudinem, & consuetudinem primò moribus introductam, postmodum pro re natà, ac exigente ita temporum conditione, per Principem corroborari, aut ad majorem, quorum interest, notitiam deduci. Quòd apprimè facit quæstio, quam movet Bartol. ad l. moribus. ff. de vulg. & pupill. substit. An consuetudinis approbatio per Principem facta, faciat, quòd hujusmodi consuetudo reddatur Jus novum? Et respondet ib. negando; quòd non hòc fine id fieri præsumatur, ut dicatur novum Jus, sed potius ad probationem illius consuetudinis: cum scriptura non sit inventa ad inducendum, sed ad probandum. l. contrahitur. 4. ff. de pignor. & hypoth. l. cum res. 12. C. de probat. Cui accedit Fr. de Aret. affirmans, quòd etiamsi approbaretur expressè consuetudo, in dubio tamen, ex illà confirmatione non inducatur nova lex, aut novum statutum. Quæ dicta tamen ita restringenda esse dicerem, ut non procedant, si princeps loquatur per verba dispositiva, aut aliter de Principis voluntate constet. Alteram Objectionem abundè refutat nostra Germania, in qua plurimæ hodiè, observatæ præprimis celeberrimis Germaniæ Jctis & practicis, Geilio & Mynsingero, dantur consuetudines, cujus status popularis dici nequit. Et jam diu explosa est erronea eorum opinio, qui non nisi in populari statu consuetudinem fieri contendunt, seducti forsan ex eo, quòd in LL. subindè mentio fiat taciti consensûs civium. Rectè Thomas: Communitas, à qua potest consuetudo introduci, aut debet esse Respublica libera seu suprema: aut si inferior sit, hoc potest vi taciti consensûs illius Principis, cui subest; *conf. Hahn. ad Wesenb. parat. de LL. n. 9.*



§. 9. Genere explicito, ad ea, quæ differentiam specificam involvunt, ac in quibus tota vis atque robur Juris Albinagii consistit, dilabimur. Ant autem, quàm ea expediamus, quæ maximè ad veram hujus Juris cognitionem faciunt, ac sine quibus cætera vix ac ne vix quidem dextrè tradi, aut curatiùs intelligi queunt, præmittenda duximus.

CAP. II.

*De J. A. origine, progressu, mutationibus,
& novissimà per Fridericum
Imp. abrogatione.*

§. 1. **Q**uod supra diximus, Jus Albinagii in se, factâ ipsius vocis abstractione, esse prorsus antiquissimum, id nunc maximè hõc capite demonstratum dare aggredimur. Ac primò quidem excutienda venit nonnullorum, quam & Bodinus fovere videtur, opinio, quâ, ut conjicimus, ad emolliendam, quam suapte naturâ refert, hujus consuetudinis acerbicatem, obtentui sumentes laudatissimam Juris Gentium æquitatem, huic nostrum Jus Albinagii accensere sustinent. Et certè multùm interest, distinctosque parit effectus, esse quid verè Juris Gentium, aut quorundam saltem populorum commune. Ut igitur veram ex veris principiis conclusionem eliciamus, normam ponimus, ad quam strictissimè, quæ Juris Gentium nomine censerì debent, exigenda sunt. Sumitur *Jus Gentium* vel strictè & propriè; vel latè & impropriè. Priori acceptione denotat Jus, quod omnium aut multarum gentium voluntate, consensu, ac tanquam ex condicito receptum, habet vim pacti inter gentes, ac mutuam inter se obligationem continet. Posteriori usurpatione vocant sæpè id perperam Jus Gentium, quod quibusdam gentibus sine mutuâ obligatione placuit, nec tanquam ex condicito, sed quod vel alii aliorum imitatione, vel fortuitò receperunt, ac revera nihil aliud est, quàm Jus Civile plurium gentium distributum, quod à singulis tolli potest. *conf. H. Hrot. de Jur. Pac. & Bell. l. 1. c. 1. n. 14. l. 2. c. 3. n. 5. l. 3. c. 1. num. 8.*
Ad

Ad hunc canonem revocata prædicta sententia ultrò cedit, suosque autores destituit. Equidem largimur, posse Jus Albinagii ex pravo usu, impropriè ac quodammodo analogicè Juris Gentium dici: esse verò hoc Jus adeò consensu gentium constitutum, ut exinde vim obligandi acceperit, tantùm abest, ut credamus, ut potiùs hoc nullò argumento, ne probabili quidem, aut quibus in hoc negotio multum tribuendum, ex Græcorum Romanorumque memoriis evinci posse arbitremur. Et plenissimè hoc disternat incomparabilis H. Grot. l. 2. c. 6. n. 14. *Quòd alicubi, inquit ille, externis testamentum facere non conceditur, non est ex Jure Gentium, sed ex Jure proprio illius civitatis, & ni fallor, ab illa veniens ætate, quâ externi quasi pro hostibus habebantur: itaque apud moratioris populos meritò exolevit.*

§. 2. Explosâ erroneâ circa hujus juris originem sententiâ, agendum in veros illius autores, ac ipsa primordia processusque inquiramus. In hoc si memorias veterum consulimus, nullam ante ipsos Athenienses, principem Græciæ populorum, hoc Jus usurpasse, gentem animadvertimus. Quò magis mirari convenit, excultissimas Athenas, omnis moratioris, & à barbarorum inquinamento repurgatæ disciplinæ domicilium creditas, tanto primùm rigori occasionem dedisse. Et fanè nullos unquam inclementius quàm Athenienses in peregrinos statuisse, nec ullos, præterquam Romanos, in hoc examissim imitatores habuisse, testatissimum est. Taceo gravissimum istud tributum, quod solis peregrinis imponebant, ac *μετοίκιον* appellabant. Taceo gravissimas, ac cæteris gentibus incognitas, circa peregrinorum connubia leges, quarum hæ maximè legenti horrorem incusserint: *Si quis peregrinus civem ducat, quocunque modo aut arte, accusato cuicumq; libuerit & licuerit apud Thesmothetas: si convictus fuerit, ipse venditor & bona ejus: eorum triens accusatori cedito. Eadem lex dicta esto peregrinæ, quæ civi nupserit: & si quis posthac rem habeat cum ea, quæ peregrinationis damnata est, mille drachmis multator.* Taceo alia, quæ afflictissimam peregrinorum apud Athenienses conditionem loquuntur. Vel solum hoc, de quo nunc agimus, Jus Albinagii illustri argumento esse potest, quò animò in peregrinos Athenienses fuerint, quando hos ab omni testamenti factione legitimâque successione penitùs arcuère.

§. 3. Ut autem assertioni fidem faciam, produco hujus apud Athenienses recepti Juris testem Demosthenem, summum in florentissima quondam Atheniensium Republ. Oratorem. Hic *Orat. 2. contra Stephanum* (quæ tota, sicut & prima, est testamentaria) probaturus Pasionem non fecisse testamentum; aut, si fecerit, non habuisse testamenti factionem activam, plurimis adductis rationibus hanc subjicit, quod Pasioni, tanquam peregrino, ascito à populo, non licuerit per legem testamentum condere. Ita enim concludit: *ἀξιον δὲ καὶ τῆτο ἐνθυμηθῆναι, ὅτι ὅσοι μὴ ἐπεποίηλο, ἀλλ' ἦσαν πεφυκότες γνήσιοι, τῆτοις ὁ νόμος δίδωσιν, διαδέσθαι τὰ ἐαυτῶν, ὁτόινην παλῆρ ἡμῶν ἐπεποίηλο ὑπὸ τῆ δῆμῃ πολίτης ὡσεὶ εἰδὲ κατὰ τῆτο ἐξῆν αὐτῶ διαδέσθαι διαθήκην.* Quid unquam hōc illustrius dici potuisset? Et hinc profectò summum hujus juris discere licet rigorem, quod ne ascito quidem, id est, peregrino in ampliacione tali, testamenti factio indulta fuerit. Quemadmodum & hoc docet, nimis quàm vanos esse, qui testamentorum usum apud Athenienses, æquè ac priscos Germanos, receptum fuisse negare audent. Refert quidem Plutarchus, à Solone permissam civibus testamenti factionem, & addit: *τὰ χρήματα κλήματα τῶν ἐχόντων ἐποίησεν, effecit, ut res cuiq; sua in pleno dominio essent;* Sed qui exinde ante tempora Solonis testamenti factionem improbatam fuisse, nec ququam civium plenum suarum rerum dominium habuisse, concluderit, manifestò errabit. Ut verò, quod ex Demosthene allegavimus, testimonium, peregrinos non habuisse apud Athenienses testamenti factionem, comprobavit; ita nunc ex eodem aliud in medium proferimus, quod nec ab intestato capere hæreditatem peregrinis licuisse confirmabit. Demosthenes namque *in Orat. contra Ebulidem*, ut Euxitheum, (qui ab Ebulide, factionibus adjuto, injustè peregrinitatis damnatus, à populo Alimusio ad iudicium appellaverat) civem esse Atheniensem evinceret, inter alia argumenta hōc tanquam apodicticò utitur, quod hæreditatem creverit. *Ἐξῆν δὲ, concludit tandem, εἰ ἐγὼ ἦν ἐγὼ, κληρονόμος εἶναι τῶν ἐμῶν πάντων; licuisset nimirum eis, si peregrinus essem, omnium mearum opum capere hæreditatem.* Nec

Nec hîc, quod veremur, putandum est, hæc atque alia à Demosthene in argumentum saltem declamationum ficta fuisse: quod de plerisque legibus, quæ in Rhetorum scriptis passim reperiuntur, doctissimi viri sentiunt. Qui etenim memoratas (de cæteris nunc non dicimus) Demosthenis orationes, unde pro stabiliendâ nostrâ thesi argumenta hausimus, curatiùs pensitaverit; nullas in iis leges imaginarias, nihil (quod nec materiæ conditio permisit) in iis fictum, aut ad speciem dictum inveniet. Rationem verò, quam in hoc Jure Athenienses potissimum spectaverint, dedit *alleg. sup. loc.* nunquam satis ex merito laudandus H. Grot., quòd nempe extranei quasi pro hostibus habebantur. Quod pleniùs dicit *l. 2. c. 22. n. 10.* *Malè Græci Barbaros ob morum diversitatem, fortè & quòd ingenio cedere viderentur, hostes sibi quasi naturaliter dicebant.* Quòd facit, quòd adfert Bodin. *de Republ. l. 1. c. 6.* quòd Græcis veteribus æquè ac Latinis, peregrini hostes appellati fuerint, ut interpretatur Cic. *l. 1. off. ex LL. 12. tabb.* lenitate verbi, rei tristitiam mitigante.

§. 4. Ab hac Atheniensium Republ. cum Romani A. V. C. 290. per Spurium Posthumium, Album Manlium & Sulpitium Camerinum ablegatos, leges ac instituta, quibus suam post exactos Reges, fundarent civitatem, peterent; factum est, ut unà cum aliis Atheniensium legibus, moribus ac institutis, Jus quoque Albinagii Romam deferretur. Hîc diutissimè omnis vicissitudinis expers florens, demum sub tempora Impp. inclinari, ac mutationibus obnoxium fieri cœpit. Ac à primis quidem ejus in Republ. Rom. auspiciis, ad tempora usque Antonini Imperatoris, robusta ejus & quasi matura ætas fuit. Non licuit peregrinò hâc ætate aut testamentum condere, aut quicquam ex testamento civis Romani capere. Apertè id docet Cicero, testis omni exceptione major, *in orat. pro Arch. poët.* in qua demonstraturus, Archiam verè esse dicique civem Romanum; & *testamentum, infert, sæpè fecit nostris legibus, & adit hereditates civium Romanorum.* Ad quæ Ciceronis verba CL. Jctus Gothofredus, in notis ad marginem, brevissimè ita commentatur: *Cives enim soli testari poterant.* Et ipse Cicero, cum in exilium pulsus, cives esse non desiisset, *Quis, inquit, civis*

Romanus, qui mihi legare testamento dubitavit? Extant quoque apertissima veteris hujus juris in Jure nostro enucleato vestigia: inter quæ maximè eminet *arg. l. 1. ff. ad L. Falcid. desumpt. ex libr. sing. Pauli ad h. l.* cui correspondet *l. 1. C. de hered. instit.* Ut hinc rectè Bodinus *all. loc.* Diodorum Siculum inscitia in Jure Romano coarguat, quòd Ægyptios, æquè ac Romanos, bona peregrinorum legitimis hæredibus reliquisse *l. 2. hist.* scripserit. Neque hoc adeò liquidum est, quod ipse Bodinus statuit *d. l.* ac si in hóc Romani à Græcis dissenserint; ut hi totam hæreditatem peregrinorum, illi non nisi sextam partem, servosque omnes, in urbe natos, fisco vindicaverint. Movit aliàs forsan, si ita se res habet, ac hïc aliquali conjecturæ locus est, Præterem peregrinum, (sic dictum, quòd de peregrinis cognosceret, ac inter eos maximè jus redderet) acerbitas hujus juris; ac aliàs satis dura peregrinorum fors, ut primùm quasi connivendo, aliquam peregrinis ex legitima hæreditate partem indulserit: ex quo sensim accedente actuum frequentia, & temporis tractu, invaluit, ut non tota hæreditas, sed certa tantùm ejus pars, fisco vindicaretur. Malo tamen de hac Bodini assertione ambigere, quàm dubiam ipsius, nullâ satis firmâ autoritate fultam, fidem sequi.

§. 5. Postquam sic Juri Albinagii, per tot secula, immobile suum robur perstiterat, ut jam omnes propemodum casus effugisse videretur; evenit tandem, ut accisis subitò viribus, uno quasi ictu concideret. Memoro nunc augustum, quod Imp. Antoninus orbi concessit, beneficium; omnibus in orbe Romano, qui tunc amplissimus erat, ingenuis peregrinis civitate Romanâ donatis: Quod Rutilius Numatianus eleganti hóc Epigrammate extulit:

*Fecisti patriam diversis gentibus unam,
Profuit injustis, Te dominante, capi.
Dumq; offers victis proprii consortia Juris
Vrbem fecisti, quæ prius orbis erat.*

Quis verò hïc sublatâ causâ effectum non sublatum fuisse negare ausit? Aut quod beneficium Imperator ingenuis peregrinis contulisset, si cives quidem Romani dicerentur, nec tamen
civium

civium Romanorum privilegiis uti dignarentur? Nuspiam, fa-
 teor, Antoninum Imp. peregrinis civitate Romanâ donatis, spe-
 ciali Rescripto testamenti factionem permisisse, aut expressâ
 Constitutione (ut Fridericus II. Imp.) hoc Jus Albinagii abro-
 gâsse legimus. Cæterum non hâc opus fuit; cum concessô
 unô, videatur omne id concessum, sine quo illud expediri non
 posset. De hoc saltem inter eruditos non convenit, quis iste
 Antoninus dicendus sit. Ac Justinianus quidem Imp. (cujus
 ductum cum plurimis aliis etiam Bodinus *alleg. loc.* sequitur)
Nov. 78. c. fin. hunc Antoninum cognomento Pium, qui impe-
 ravit post N. C. seculo II. fuisse pronuntiat. A quâ Imperiali
 sententiâ non facile recedendum putarem, nisi major vis veri-
 tatis aliud injungeret. Ut meritò illorum opinioni, ad verita-
 tem propiùs accedenti, calculum adjiciam, qui hunc Antoni-
 num, simpliciter ita ab Ulp. *l. 17. ff. de stat. hom.* appellatum, non
 alium esse censent, quàm Caracallam, Septimii Severi F. aliàs Bas-
 sianum, qui imperavit post N. C. seculo III. de quo inter alios
conf. Dn. Hahn. ad parat. Wesemb. de stat. hom.

§. 6. Exterminatum, uti diximus, Antonini Imp. auto-
 ritate, ex orbe Romano Jus Albinagii, nunquam ad pristinum
 suum in peregrinos Imperium aspirare ausurum videbatur.
 Cesserat namque Imperiali Edicto, ut rara ejus admodum, per
 aliquot secula, vestigia exstarent. Ut verò Imperium Rom.
 paulatim inclinari, Longobardos in Italia dominari, provincias
 ubique ab Imperio Rom. vastissimo suo corpore avelli, nova
 Regna constitui, omnia inter se misceri: tum demum paulatim
 se erigere, incrementa capere, atque pristinas subitò vires recu-
 perare cœpit. Ac primùm in Italia à dominantibus tunc Lon-
 gobardis quasi postliminio receptum, novisque deinde Consti-
 tutionibus (quæ extant in Lombard. *de Advenis l. omnes. & l. fin.*)
 firmatum, opinione citiùs Regna Terrasque pervasit. Et jam
 non pristinis suis terminis contentum, quod in solos quondam
 peregrinos dominium exercuerat, in ipsos etiam cives Roma-
 nos extendere cœperat: invalueratque, cum Fridericus II. Rex
 Siciliae fausto omine ad Imperium eveheretur, ut hospites &
 caupones hâc Albinagii jure (quod mutatô nomine, sed re eâ-
 dem manente, Jus Hospitii appellabant) in bona non tantùm
 exterorum,

exterorum, ab Imperii Rom. corpore jam tum segregatorum, sed civium etiam Romanorum, adæquatè talium, si quando ipsis in Imperio peregrinantibus excedere contingeret, jus successionis sibi planè plenèque arrogarent. Quò motus Imp. Fridericus, promulgatâ humanissimâ Constitutione, omnibus promiscuè peregrinis & advenis, quâ talibus, liberrimam, abrogatò Jure Albinagii, testandi facultatem reddidit, aut si intestati decederent, eorum bona hæredibus ab intestato servari præcepit.

C A P. III.

Succinctam Auth. Omnes peregrini. C. Comm. de succ. analysin terminorumq; explicationem continens.

§. I. **P**ervenimus in explicandis Juris Albinagii origine, progressu, mutationibus, ad novissimam ejus per Fridericum II. Imp. abrogationem. Fundatur hæc in *Auth. Omnes peregrini. C. Comm. de success.* & est unica genuina huic nostræ materiæ, in toto Jure Civili, sedes, in qua quicquam circa hoc Jus constitutum legimus. Cùm verò uberior hujus Auth. sit amplitudo, quàm ut eam nostræ dissertationis, quæ ei consultò præfinita est, angustia capiat; hæc vice pro instituti ratione succinctam ac summariam ejus analysin, terminorumque explicationem exhibemus. Textus hic est: *Omnes peregrini & advena liberè hospitentur, ubi voluerint: & hospitati, si testari voluerint, de rebus suis ordinandi liberam habeant facultatem: quorum ordinatio inconcussa servetur. Si qui verò intestati decesserint, ad hospitem nihil perveniat: sed bona ipsorum per manus Episcopi loci tradantur hæredibus, si fieri potest: vel in pias causas erogentur. Hospes verò, si aliquid de bonis talium contra hanc Constitutionem nostram habuerit, triplum Episcopo restituat, cui visum fuerit assignandum: non obstante statuto aliquo, seu consuetudine, seu privilegio, quæ hæctenus contrarium inducebant. Si qui autè contra præsumpserint, eis de rebus suis testandi interdiciamus facultatem:*

facultatem: ut in eo puniantur, in quo deliquerint: aliàs, prout culpa qualitas exegerit, puniendi.

§. 2. Est hæc Auth. non ut alià, ex Novellis Justinianeis desumpta, sed ex Constitutionibus Friderici II. de statutis & consuetudinibus post duos libros Feudorum. Nec de ejus validitate dubitandum est, cum exactissimè suo archetypo correspondeat. Quamvis aliàs Authentica Irneriana, Codici repetita prælectionis inserta, regulariter non obtineant, nec ullam vim aut vigorem Juris alium habeant, nisi quatenus cum fonte, unde haustæ sunt, conveniant, ac ne vel latum unguem à sensu Novellarum, quem invertere aut immutare minimè privato licuit, recedant. *Conf. Dn. D. Riccium Tract. Rhaps. de quant & qual. libr. Jur. Rom. & Ioach. Hagem. de autor. Jur. Civil. & can. c. 7.*

§. 3. Causa efficiens, ut præmissa innuunt, hujus Constitutionis est Imp. Fridericus II. Rex Siciliae; pius, justus & felix: nisi quòd Pontificum Romanorum Honorii III. Gregorii IX. & Innocentii IV. immerito injustoque odio ac fraudibus penè attritus fuerit. Calumnia est, quæ hunc Imperatorem ex Papæ adulatoribus notat *Paris de Puteo in exquisitissimo suo Tract. de Syndicatu c. de excessibus Regum. n. 59. & c. seq. n. 19. fol. m. 7. & 9. quòd Regnum dominio tyrannico conquassaverit, homines serviliter tractaverit, & Ecclesiam Dei afflixerit; propter quòd ab Imperio fuerit depositus.* Quasi verò dum perduelles, ac suæ Majestatis multoties reos, ultore ferro persequitur, pessimisq; Pontif. Rom. in se & Imperium machinationibus justissimè se opponit, persecutor Ecclesiæ DEI, aut tyrannus dici mereatur. Extat quidem, quam Paris, in hòc Paris, d. l. allegat, formula depositionis Friderici *c. ad Apostolica. 2. de sentent. & re judic. in 6.* sed mutila & manca, cui & fides historica, & jura, & libertas reclamant. Ut hinc sanè operosâ illâ disquisitione: *An Constitutiones Friderici II. late ante ejus depositionem, valeant post ejus depositionem; non opus fuerit; quam ex And. de Isern. Bald. aliisq; persequitur ac decidit Matth. de Affl. Const. Neapol. proem. quæst. 1.* Nec arridet nobis, quam d. l. instituit, ignominiosa comparatio Judæ proditoris cum Imp. nostro: quòd sicut baptismus Judæ proditoris, ante ejus damnationem celebratus, non redditus est ex subsequenti ejus damnatione irritus, ut

dicatur. c. aliud. 39. de consecr. dist. 4. ita & Friderici II. Imper. Constitutiones, &c. Veniunt namque hæc ex moribus istius seculi, quando, quò quisque erat ad Papæ servitium promptior, ac in suum Principem injuriosior, eò sanctior ac Ecclesiæ DEI fidelior habebatur. Lata autem est hæc Constitutio ab Imp. Friderico anno 1220. Imperii sui 10. Confirmata cum cæteris abs Honorio III. Pontif. Rom. quod innuit §. ult. *Nos verò Honorius. ibi. laudamus, approbamus & confirmamus.*

§. 4. Occasionem hujus cæterarumque Constitutionum *de stat. & consuet.* (quarum hæc nostra penultima est) ipse Imp. *in proem.* exprimit: *quòd ad decus & honorem Imperii & & laudem Romani Principis nihil omninò magis sibi visum fuerit accedere, quàm ut expurgatis quibusdam erroribus & iniquis quorundam statutis quilibet securâ suâ gaudeat libertate.* Et hoc maximè Imp. *in hac nostra etiam Auth.* agit, ut abolitis in totum quibuscunque, quæ contrarium hactenus induxerant, consuetudinibus, statutis ac privilegiis, cuilibet naturalem & liberam de suis rebus ordinandi restituat facultatem; cùm iniquum sit testamenti factionem sanæ mentis homini auferre, *per l. 43. ff. de vulg. & pupill.* & nihil magis hominibus debeatur, quàm ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stilus & licitum, quod iterum non redit arbitrium. *l. 1. C. de SS. Eccles.*

§. 5. Duo autem principaliora totius Constitutionis membra sunt. In primo Imp. peregrinis & advenis testamenti factionem & legitimam ab intestato successionem plenissimè restituit: In altero pœnam hujus suæ Constitutionis temerariis ac violatoribus dicitat.

§. 6. Prius membrum complectitur generalem conclusionem, & specialem per partes interpretationem. Generalis conclusio hæc est: *Omnes peregrini & advena liberè hospitentur, ubi voluerint.* Capitur hîc vocabulum, *peregrinus*, quod in hac conclusione Subjectum constituit, paulò aliter, quàm in Jure nostro fieri consuevit: quo peregrinus censetur ille, ad quem Jus Quiritum non pertinet, seu nunquam fuerit civis, seu amiserit civitatem, *l. 1. C. de hered. instit.* Cujus respectu dici potest, capi hîc vocem, *peregrinus*, quo dammodo improprie ac abusive

sive

sivè; nempe pro peregrinante in Imperio Roman. sive sit adæ-
 quatè Imp. Rom. subjectus, sive extra Imperii corpus existens,
 alium superiorem recognoscat. Meritò enim hîc recedimus à
 receptissimâ gl. & Dd. autoritate, (quam novissimè etiam am-
 plexus est *Magnif. Dn. Brunnem. Comm. in C. ad h. Auth.*) quâ
 in h. text. per *peregrinum* tantùm civem Romanum, strictè ita
 dictum, è loco suæ habitationis in Imperio fortè peregrinan-
 tem; non verò alium cujuscunque Regni civem, intelligi con-
 tendunt. Ac stante quidem hâc hypothese, soli hodiè Germani
 inter se (nam frustra hâc tempestate Imperium Rom. extra Ger-
 maniam quæsi veris) hujus Auth. beneficium sibi vendicabunt.
 Præterquam autem, quòd ipse textus repugnet, directè hæc in-
 terpretatio adversatur menti ac intentioni Imperatoris, qui non
 tam paucissimis civibus Romanis (qui jam tum penè soli Ger-
 mani erant) quàm primariò alterius etiam Regni, ab Imperii
 Rom. corpore sejuncti civibus, si fortè ipsis in Imp. Rom. pere-
 grinantibus excedere contingeret, hâc Constitutione consultum
 ac prospectum voluit. Nec sanè otiosa aut *παρίληψη* censeri
 debet, adjecta particula, *omnes*: quando Imp. non absolutè
 (quod in *const. seq. Agricultores. II. fin.* facit) hanc conclusio-
 nem effert: *peregrini & advena liberè hospitentur*; sed cum
 adjuncto *ἐμφατικωτέρω*: *omnes peregrini & advena*; ad excluden-
 dam quamcunque, quæ aliàs ex nudâ hâc illatione, *peregrini &*
advena, oriri potuisset, ambiguitatem. Ut jam non dicam, ter-
 minum, *advena*, (quem consultò conjungit Imp. cum voce, *pe-*
regrini) non quadrare propriè & ex suâ naturâ ad civem Roma-
 num: cùm omnes homines in Imp. Rom. licèt sub diversis cu-
 riis, in diversis provinciis degant, pro civibus tamen Romanis,
 & propter dependentiam illam, quam jurisdictiones ab Impera-
 tore habent, inter se non pro advenis, sed pro incolis habeantur.
 Provoco saltem ad hodiernum, qui invictissimum præbet argu-
 mentum, in Imp. Rom. seu Germania, usum. Nec obscurè huic
 nostræ sententiæ suffragari videntur *Coll. Argent. ad ff. qui test.*
fac. poss. & celeberr. Gothofr. in not. ad h. const. Quanti autem
 intersit, hunc terminum ita vel aliter interpretari, & quàm non
 spernenda hujus in foro sit utilitas, vel ex solâ illâ, quam *ad fin.*
b. c. proponemus, quæstione practicabili judicare est. De hóc

verò subjecto, *peregrinis & advenis*, prædicatur in hâc conclusio-
ne: *quòd liberè hospitentur, ubi voluerint*. Sensus verborum est
facilis: Nemini debere suam hospitandi libertatem esse circum-
scriptam, aut adstrictam certo loco; ita tamen, ut nemo invitus
quempiam recipere cogatur, *l. 1. §. 1. ff. naut. caup.*

§. 7. A generali hâc Conclusionem progreditur Imp. ad
specialiorem ejus interpretationem; ac positus duobus casibus,
quid in iis juris obtinere debeat, ostendit. Primo casu pere-
grinis hospitatis, si testari voluerint, de rebus suis ordinandi li-
beram attribuit facultatem, ita ut horum ordinatio inconcussa
servetur. Vult igitur Imp. ut peregrini & advenæ quocunque
loco testari, ac alicubi decedentes relinquere possunt, cui velint;
dummodò secundum Jus commune testentur. Concessâ hîc
etenim peregrinis libertate testandi, non intelligi debent re-
missæ quoque solennitates Juris communis, quod disertissimè
innuit *l. si quando. 35. C. de inoff. testam.* Alterò casu docet Imp.
quid fieri velit, si qui intestati decesserint. Ac primò dicit remo-
tivè: *ad hospitem nihil perveniat*. Abolet his verbis morem
illum, quem suprâ indicavimus, quòd caupones & hospites bona
peregrinorum, in hospitiiis denatorum, sibi plenissimè arroga-
bant. Et quanquam *Dn. Perez. ad C. Comm. de success. num. 2.*
putet, restringenda esse hæc verba Imperatoris ad res paucas mo-
biles, quas peregrinantes secum ferunt: non tamen video, quâ
id aut ex verbis Imp. colligi, aut aliunde, hanc Imp. mentem esse,
stabiliri possit. Certè, ubi lex non distinguit aut excipit, ibi
nec nos distinguere aut excipere debemus. Porro loquitur
Imp. dispositivè: *sed bona ipsorum per manus Episcopi loci tra-
dantur hæredibus, si fieri potest, vel in pias causas erogentur*. Pri-
mò locò hîc ab intestato hæreditatem defert Imp. proximis pe-
regrini intestati hæredibus: & vult, ut hospites, qui peregri-
nos receperunt, illorum intestatorum bona, apud nos industriâ
aut quòvis alio modò quæsitâ, Episcopo loci indicent tradant-
que, qui ea proximis hæredibus restituat. Quòd autem Imp.
de Episcopo loci dicit, id in terris repurgatæ Ecclesiæ de loci Ma-
gistratu intelligi potest ac debet. Deficientibus legitimis hæ-
redibus secundò locò Imp. bona hæc peregrinorum vacantia,
*non fisco, sed Christo defert, ac per manus Episcopi in pias cau-
sas*

as eroganda præcipit. Potuit hîc namque, quod aliàs inquit Covarr. in c. Peccatum, p. 3 §. 1. n. 4. lex humana circa bona morientium disponere, ac ea pauperibus assignare. Et notanda hæc notabilis restrictio Juris Civilis in l. 1. C. de bon. vac. quam nunc pluribus persequi prohibemur.

§. 8. Expeditio priori membrò, ad posterius Imp. dilabitur, in quo duplicem, hujus suæ constitutionis temeratoribus ac violatoribus pœnam constituit. Unam quidem iis, qui aliquid de peregrinorum bonis contra hanc Constitutionem ad se rapiunt, neque Episcopo, aut loci Magistratui indicant: alteram adversus illos, qui peregrinum contra hanc Constitutionem testari prohibent. Primo modo delinquentibus injungit restitutionem tripli, Episcopo aut loci Magistratui præstandam: quod triplum Episcopus aut loci Magistratus pro arbitrio, & cui visum fuerit, assignabit. Ne autem statuti alicujus aut consuetudinis prætextu, contra præsumere quis auderet, Imp. simul plenariè abolet, quæ hæctenus contrarium induxerant, statuta ac consuetudines, verbis hisce derogatoriis: *non obstante statuto aliquo, seu consuetudine, quæ hæctenus contrarium inducebant.* Quâ clausulâ generali aded statuta ac consuetudines tolluntur, ut non necesse sit, integrum tenorem statuti vel consuetudinis adjicere. Et esset satis amplius hîc dicendi campus de effectibus clausulæ hujus derogatoriæ: an tantum abroget statutum vel consuetudinem obstantem, non etiam prohibeat futuram? an consuetudo vel statutum possit induci contra legem, habentem clausulam derogatoriam ad statutum vel consuetudinem? & quæ alia hinc fluunt erotemata. Altero casu Imp. talia contra suam constitutionem præsumentes, facit intestabiles. Dicitur in Jure nostro *intestabilis*, cui nec testamentum condere licet, nec testimonium alteri dicere; & cui vicissim nemo testimonium dicere tenetur, uti quisque tenetur civi honesto, si denuntiatum sit, §. 6. l. de test. ordin. l. is cui. 18. §. 1. l. cum lege. 26. ff. qui test. fac. poss. Imò ex eo, quod Gajus scribit d. l. cum lege. 26. cum lege quis intestabilis esse jubetur, hoc ed etiam pertinere, ut nec ipsi dicatur testimonium; sequi omninò videtur, ut nec hæres institui, nec ex testamento alieno capere possit; quod probat acutissimus Vinnius Comm. Acad. & For. ad §. 6. l. de testam. ord.



Quare autem gravissima aded h.c. delinquentibus poena dicitur ipse Imp. reddit rationem; *ut in eo puniantur, in quo deliquerint.* Quod extollit Imp. Jus Talionis, lege naturæ, divinâ, civili & canonicâ probatum; quod tale quisque patitur, quale fecerit, & talem recipere debet poenam, qualem delictô suo meritus est. Jus nostrum exprimit per poenam reciproci. *l. nullus, 2. C. de exh. reis.* & supplicii seu poenæ similitudinem, *l. fin. C. de accus. arg. l. ult. C. de calumn.* Priscianus vocat, admissi vicem: Græci ἀντιπελάργωσι, ταυτοπάθειαν, & ἀντιπεπονθός. Quotuplex autem, & an justitiæ distributiæ vel commutativæ sit, persequitur Habn. ad Wesenb. parat. de l. & l. n. 12. & 13. Conf. de int. l. Tal. Coll. Arg. ad ff. quod quisq; juris. Ultimato interminatur Imp. pro culpæ qualitate poenam extraordinariam: *aliàs prout culpæ qualitas exegerit, puniendi.* Quæ poena extraordinaria, quin ad criminalem etiam punitionem extendi possit, non dubitamus.

§. 9. Ex brevissimè enarratâ hâc text. nostri analysi, planum, opinor, erit, testamenti factionem non tam activam, quàm etiam passivam ab Imp. Friderico peregrinis & advenis omninò restitutam fuisse. Major verò hîc oritur controversia ac dubitatio; an etiam hâc Authenticâ jus testimonii ferendi in testamento civis Romani, peregrinis & advenis concessum intelligatur? Agitatam hanc fuisse maximâ contentione ante aliquot annos quæstionem, hîc in curiâ Argentoratensi, non ita pridem inter habitos sermones, ex ore Magnif. Dni. Rebhanij, Venerandi Fac. Jur. Senioris, Patroni ac Fautoris nostri æstimatissimi, addiscere licuit. Casus circa quem emergentem ventilata fuit, hic est: Fecerat studiosus, in Illustri hâc Academiâ studiorum gratiâ commorans, testamentum solenne; in quod præter cæteros, qui erant cives Romani, testes rogatos, adhibuerat etiam unicum exteræ nationis, Suecum, solo amicitiaæ nexu sibi conjunctum. Ut hic testator fatis concessit, & testamentum apertum fuit, illicò abs iis, quibus non aded favere videbatur, ob defectum Juris solennium impugnatum fuit: quod testis adhibitus fuerit inidoneus, qui tanquam peregrinus, nec civis Romanus, in testamento civis Romani non potuerit esse testis, per nominatissimam *l. hâc consultissimâ. C. de testament.* At propter testes inidoneos aded testamentum nullum reddi, ut
ex eo

ex eo planè hæreditas adiri non possit, etiamsi vel unus tantum sit inhabilis, *per text. l. scio. 14. cum ll. seqq. ff. de test. & l. si unus. C. de testam.* Qui testamentum propugnabat, causæ patronus, præter levius istud argumentum, quod testis ille extraneus civis fuerit Academicus: maximè ac fermè unicè urgebat, quod vi nostræ Auth. peregrini & advenæ testamenti factionem activam & passivam receperint; At communem & infallibilem notam esse testium habilitatis, si iis & cum iis sit testamenti factio, per clarissimos *text. §. 6. l. de test. ordin. & pr. l. 18. ff. qui testam. fac. poss.* Unde apodicticè concludebat: Quicumque habent testamenti factionem activam & passivam, illi possunt in testamento esse testes, Atqui peregrini & advenæ, Ergò. Verum enim verò, qui contrarium tueri susceperat, Clariss. Jctus Frid. Deckherus, Pandect. tunc in hac Acad. Prof. nunc *év évlois*, nullam admittebat hujus Authenticæ, tanquam juris correctorii, extensionem; quod jus correctorium & novum strictè in suis terminis, de quibus loquitur, contineri, nec ad alia produci debeat. Pronunciatum ad hæc partium controversias, in curiâ Argentoratensi, fuit pro testamento: à quâ sententiâ cum ad Cameram Imperialem esset provocatum, in illâ etiamnum hæc causa pendet, & quod suspicamur, nemine ulterius urgente, indecisa consenescet.

C A P. IV.

In quibus hodiè terris regnisq; J. A. posthabitâ Constitutione Friderici Imp. obtineat, & quæ sit ejus ratio & æquitas.

§. 1. **E**XPLICITâ Auth. *Omnes peregrini.* superest, ut scrutemur, an & in quibus hodiè terris regnisque hoc Jus Albinagii, neglectâ Imp. Friderici Constitutione obtineat, & quæ sit ejus ratio & æquitas.

§. 2. Ac Germania quidem nostra, seu Imperium Romanum, abdicatô Jure Albinagii, hanc sui Imperatoris Constitutionem,

tutionem, devotissimè susceptam, hæctenus aded incorruptam fovet, ut homini extero, quæ quidem extero, in Imperio peregrinanti, de suis, quæ habet in Imperio, bonis, liberrimè testari permittat: aut si intestatus decesserit, ipsius bona relicta, proximis ab intestato venientibus conservet: nisi quando adversus istius, quod Jus Albinagii recepit, Regni cives, Jure Retorsionis æquissimo utitur. Ut hinc graviter errare Bodinum liquidissimè pateat, quando *d. l. i. c. 6.* tacitè reprehendens Imperatorem Fridericum, quod Juri Albinagii, omnium ferè, ut gloriatur, populorum communi derogare voluerit, ne illius quidem legis (ita vocat sæpissimè memoratam Friderici Imp. Constitutionem) in Germania ullam vim esse affirmat. Quod insigni documento est, quàm imperitus, ne dicam sæpissimè iniquus, Bodinus, cætera doctissimus, rerum Germanicarum censor sit. An autem extra Imperium Romano Germanicum, spretâ Imp. Friderici Constitutione, etiamnum hodiè Jus Albinagii obtineat, aded dubitandum non est, ut latiùs id multò hodiè, quàm olim in Atheniensium ac Romanorum Republ. dominari videamus. Nec hîc deficit ratio, quare angustissimis aded nostra Auth. finibus coërceatur. Non potuit videlicet Imp. Fridericus ampliores, pro suo Imperio, suæ Constitutioni vires largiri, aut Regibus, ipsum non recognoscentibus, jus dicere, sive jurisdictione controversâ extra suum territorium uti. Et est hodiè extra controversiam, Romanorum leges ac Constitutiones in plerisq; Regnis servari, non quatenus Romanæ sunt, sed in quantum rationabiles, vel in quantum Rex vult, ut servantur. Quò facit, quod dicit *Bald. in c. i. §. Injuria. de pac. jur. fir.* quodd in curiis Regum, qui sunt liberi ab Imperio, Jus nostrum Civile non allegetur pro auctoritate, sed pro ratione. Quam thesin ad *ὑπόθεσιν* reducens *Chass. rubr. 2. des confiscations. §. 1. in verba: qui confisque le corps. n. 37.* ipse huic suæ objectioni: *sed istud ius (scil. Albinagii) est contra Auth. Omnes peregrini. C. Comm. de success. quæ etiam tollit consuetudinem contrariam;* hunc in modum respondet: *sed quicquid sit, istud (Ius Alb.) est Ius Regale, inconcussum, & indubitabile in Galliâ.* Quibus apertè innuit, non adstrictum esse Regem Galliæ Imperialibus Constitutionibus, ita ut contrarium etiam (quod in puncto J. A. cernere

cernere est) in suo Regno, ex plenitudine potestatis, constituere possit.

§. 3. Quæ verò in specie terræ regnæque hoc Jus sibi vindicent, operæ omninò erit hîc perquirere. Et vir maximus, H. Grotius *all. supr. loc.* apud moratiores hodiè populos Jus Albinagii planè exolevisse putat. Quò positò, orbi maximè Christiano, qui meritò censetur moratissimus, Jus Albinagii hâc tempestate foret incognitum. Cæterùm adedò hujus contrarium, optima rerum magistra edocet experientia, ut dubitari possit, an rectiùs Christianorum, vel Barbarorum hoc Jus hodiè appelletur. Prodit prima in scenam moratissima ac florentissima Gallia, quæ arctiùs, quàm ullus alius orbis Christiani locus, hoc Jus sibi copulavit, ut non indignè Regalis Juris Alb. sedes dici, & tota, quæ de hoc Jure suscipitur diatribe, ad potissimum ejus, in hoc Regno, usum, componi mereatur. Meminère hujus Juris *Chassaneus in Consuet. Burgund.* *Boërius in Consuet. Bituricensis.* & *Decis. Rebuff. in Const. Gall.* *C. Molina, in Consuet. seie Const. alm. Par. ur.* *Pyrrhus in Consuet. Avelian.* *Cormey. de Iur. Civ. Romano-Gall.* *Papon. in Decis. s. Arrest.* *P. Greg. in Synt. Iur. univ.* *Bodinus de Rep. aliiq;* : Qui tamen omnes, paucis, qui aliquantò pleniùs dicunt, exceptis, tritissimum ac quotidianum hoc Gallia Jus, extremo saltem, quod maximoperè mirari convenit, digito tetigere. Galliam excipit Bohemia, de quâ paucissimis testatur *CL. Jac. Thomingius decis. 26. n. 6.* & *ex eo Berlich. p. 3. concl. 51. n. 7.* & *Hahn. ad Wes. parat. quod quisq; Iuris.* Tertio collocamus maximam Italiae partem, annotante *Bodin. d. l.* Cui quartò accedit Britannia, cum notabili tamen hâc differentiâ: quòd Jus Alb. tantùm in collateralibus ibi obtineat; ita ut advenis non debeat successio in hæreditate collateralium, benè autem in hæreditate ascendentium & descendentium, quod testatur *Jac. Schultz. p. 1. pract. quest. 6. n. 1. & seqq.* & *ex eo Berlich. all. concl. n. 6. ac Dn. Hahn. ad d. t.* Cui addendum illud *Bodini d. l.* quòd Angli etiam proximis peregrinorum, supellectilem ac pecuniam capere, permittant: secùs ac fit in Galliâ, cæterisque, ubi Jus Alb. viget, locis. Quintò hisce annumerat *Bod. d. l.* Siciliam: de quâ quid sentiendum sit, ex iis, quæ tradit *Matth. de Afflict. Const. Neapol. de off. secr. §. 15. fin.*

D

collige-

colligere est. *Quærit hinc gl. inquit, utrum garagangi, id est, advenæ personæ, & sic exteri, possint facere testamentum in Regno, sine assensu Regis? Gl. dicit, quod non: & hoc est de iure Longobardo. Sed ego vidi multos exteros in diversis partibus Regni fecisse testamenta sine licentiâ Regis, & nunquam per 40. annos vidi, quod fuit oppositum, quod testamentum non valet, quia non intervenit regius assensus, & sic videtur, quod in hoc dicta Lex Longobarda non est in viridi observantiâ. Patet hinc, restringendam esse Bodini de Sicilia sententiam, ad id, quo lex Longobarda obtinuit, tempus; cui recepta hodiè contraria consuetudo penitus derogavit. Et credo, post promulgatam Friderici Imp. qui erat Rex Siciliae, Constitutionem, huic Juri Longobardo sensim derogari cœptum fuisse. De Lithuania, quam similiter huc trahit Bodinus, prorsus dubitamus. Regitur enim hæc iisdem legibus, eodem, quò Regnum Poloniae, cui incorporata est, imperiò. At in Polonia Serenissimum Regem Jus Albinagii sibi vindicare, nec unquam ibidem locorum commorantes audivisse, nec in illis, quos nostrò excessisse tempore peregrinos cognovimus, usurpatum fuisse meminimus. Hoc speciale & ex urgentibus causis factum fuit, quando S. R. Majestas sub exitum anni sexagesimi sexti, expirantibus simul generalibus Regni Comitibus, cujusdam mercatoris, nomine Danielis **Goosfen** / cum Varavia (quò se, Gedani de mensâ surgens, contulerat) subitanè prorsus morte extingueretur, bona, per Terrarum Prussiae Fiscalem, consignari ac ad se perferi jussit: increpatis graviter, Varavia tunc presentibus, Civitatis Gedanensis ablegatis, quòd in ipsâ Civitate Regiâ Varaviensi, in conspectu quasi Principis, tantos sibi spiritus sumere, ac antè, quàm obitus prædicti viri ad S. R. Majestatis notitiam perveniret, circa illius res rationesque pro autoritate disponere non erubuissent.*

§. 4. Ex hisce enumeratis primariis orbis Christiani locis, tenacissimis Juris Albinagii receptaculis, facilè (cùm contrariorum contraria sit consequentia) colligitur, quæ aut nunquam hoc Jus usurpaverint, aut non amplius hodiè usurpent, orbis Christiani loca. Verbò nunc saltem, cùm ejus dispar sit ratio, orbem Barbarum, quem Christiano opponimus, attigisse sufficiat.

sufficiat. In hōc Bodinus d. l. Asiaticos Africæque populos, Moscoviam, Tartariam, ac universum Turcarum Imperium crepat; refertque exemplum, quō suâ ætate Turcarum Imperator, Crozili Turonensis Galli, ditissimi hominis, universam hæreditatem, ducenta aut eorum millia exæquantem, Abrahamo, Præfecto Prætorio dono dederit, nec quicquam ad proximos hæredes devolvi permiserit. Non tamen ex hoc, quod Bodinus intendit, aded Juris Albinagii Majestas elucet, ut quoddam quasi Jus Gentium hodiè dici possit: cujus suprâ rationem allegavimus.

§. 5. Cæterum, cū nullâ præcedente causâ probabili dominium alicui suum auferre, mera injuria sit: opportunè nunc, quâ potissimùm ratione Jus Albinagii nitatur, discutendum venit. Dum autem de ratione loquimur, hanc discernimus ab æquitate: quæ duo maximè inter se distincta sunt. Fluit namque ratio ex principiis Justitiæ restrictæ: æquitas ex humanitate & principiis Justitiæ benignæ. Priori considerandi modo potest quid esse rationabile, quod posteriori inhumanum, ac fermè iniquum, sine ullâ tamen contradictione, censetur. Ac dicitur quid rationabile, ex sola proportionem ad communem usum, & in ordine ad effectum moralem: cui contradistinguimus id, quod dicitur bonum, scil. intrinsecè & ratione objecti, de quo est, boni vel mali. Quibus præsuppositis, primùm de nostræ consuetudinis ratione; deinde de ejus æquitate, pauca admodum pro scopo dicenda sunt.

§. 6. Quam rationem Juris Albinagii Athenienses tenuerint, suprâ ex H. Grot. retulimus. Hæc cū inter Christianos hodiè cesset, ac ne olim quidem firma satis atque sufficiens fuisse videtur, alia nunc huic assignanda erit. Et quanquam *Cujacius Comm. FF. l. Titius filium masculum non habens.* de moribus Galliæ (quorum hæc nostra consuetudo primaria pars censi debet) prædicet, multa in iis sine ratione esse, ut, quod de Jure recepto Neratius scripsit, non esse ejus anxie rationem inquirendam, ne multa ex his, quæ certa sunt, subvertantur; id Galliæ moribus aptari verissimè possit, quod plerumque omni ratione destituantur: non tamen aded abjectè de hac nostra consuet. sentire possumus, ut ejus rationem dari posse omninò despe-

remus. Ne etenim peregrini undique copiosè affluentes, multa, ut fieri assolet, in præjudicium civium præsumerent, aut in ipsius etiam Reipubl. Regnique damnum verterent, introductum fuisse opinamur, ut peregrini, sine adoptione Principis, censerentur indigni ac incapaces acquisitionis bonorum ac beneficiorum in regno: Quod antecedens aliud consequens habere non potuit, quàm ut nec de rebus, in regno acquisitis, tanquam acquisitionis incapaces disponere, aut quicquam ex testamento civis capere possent. Nec obstat huic rationi, quòd testamentum sit species alienationis, ejusque substantia cognata dominio, & eò datò, juris naturalis ac gentium: At hoc Jus contrariâ consuetudine tolli non posse. Licèt enim Princeps nil possit præcipere, quod Jus naturæ prohibet, aut prohibere, quod præcipit: potest tamen libertatem naturalem circumscribere & vetare, quod naturaliter licebat, atque etiam ipsum dominium naturaliter acquirendum, vi suâ antevertere. *H. Grot. de I. P. & B. l. 2. c. 2. n. 5.* Et attendendus in hâc nostrâ consuetudine est favor publicæ utilitatis, qui solus causa justa & rationabilis est, licèt aliis præjudicet. Quin ex hâc causa Princeps potest præjudicare juribus privatarum personarum, & tollere privatis eas, quæ eis competunt de Jure Gentium, *Alex. conf. 2. 67. 89. 94. 119. 215.* Nec est novum, ut ipsum Jus Civile à naturali deflectat, utilitatis civium causâ, *arg. l. Ius Civile. 6. ff. de I. & I.* Quod prolixè docet *Lact. l. 6. div. Inst. c. 8. & 9.* ubi Jus Civile, quod moribus ubique variatur, à verâ Justitiâ discernit, quam uniformem ac simplicem proposuit Deus. Quanquam enim optabile esset, πάντας τῶν ἀνθρώπων νόμους τρέφειν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ut ex Heraclito refert Stobæus: tamen id in perversitate hominum, obtineri non potest. *Rittersh. de diff. Iur. Civ. & Can. l. 4. c. 11. de usuris.*

§. 7. Et hæc quidem Juris Alb. est facies, quam ex principiis Justitiæ restrictæ refert: Alia planè erit, si nunc ex Humanitate & principiis Justitiæ benignæ illud contemplemur. Sed hîc Laconicè dicimus: tantò æquiores & humaniores esse, quæ Jus Albinagii abolet, Friderici Imp. Constitutionem, quantò propiùs ad jus naturæ & gentium, vivum Justitiæ benignæ ac ἐπιχειρίας fontem, accedit.

CAP. V.

CAP. V.

De statu Albinorum, & Subjecto, cui Jure Albinagii succeditur.

§. 1. **R**eventimur nunc ad ea, quæ differentia specificæ locum, in datâ supra definitione, obtinent, & in quibus tota vis atque robur, quod diximus, Juris Albinagii consistit. Primò autem locò, quod justus ordo & ipsa rei necessitas exigit, excutiendum venit adæquatum hujus juris subjectum, in quod, abdicatâ ipsi omni testamenti factione, succeditur. Hoc exactiùs cognosci non posse arbitramur, quàm si distinctè, & secundum suum statum, & secundum suum jus, consideretur: quæ se habent ad invicem instar causæ & effectûs, rectissimèque discernuntur. Per statum, omissis variis hujus vocis acceptionibus (quas refert *Dn. Hahn. ad Wes. parat. de stat. hom.*) hîc intelligimus statum hominum civilem, seu politicum, qui in societate civili viventibus perspicuam Juris diversitatem inducit, seu secundum quam iis diversimodè jus redditur. Quò sensu nihil aliud est status, quàm ipsa personæ conditio, qualitas, & causa efficiens, ut homo hîc vel illò jure utatur. Atque cum hic status hominum civilis triplex sit, Libertatis, Familiæ & Civitatis; missis duobus, qui hujus loci non sunt, prioribus, de solo posteriori civitatis statu, quò quis, vel civis vel peregrinus dicitur, nunc nobis dicendum erit. Et posthabitâ hîc generaliori disquisitione, tantum ex speciali nostro proposito & materiæ aptitudine hunc discursum metiemur: ut constet, quis in hoc nostrò Juris articulo pro peregrino, seu (qui terminus materiæ convenientior est) pro Albino, cui Jus Albinagii dominatur, ac fiscus succedit, habendus sit.

§. 2. Hîc verò initidè, locò primi principii tenendum, albinum (qui definiri potest, quòd sit homo exteræ nationis, cum quâ nobis non est eadem Resp. summa) directè in hîc Juris articulò opponi civi: ita, ut qui nec originarius nec assumptus civis est, in albinorum numero habeatur.

D 3.

§. 3. Et

§. 3. Et primò quidem, ut specialius rem tradamus, in puncto J. Albinagii censetur albinus: qui à parentibus non civibus, seu peregrinis natus est. Sic, si quis parentibus Germanis, indegenatu carentibus, in Gallia nascatur, hæc sola natiuitas, seu actus nascendi, facit quidem eatenus Gallum, ut dicatur natiuitate Gallus, sed non facit civem Gallum, seu, ut habeatur originarius, quoad jura & commoda, ita, ut in ipso tanquam vero cive Jus Albinagii exspiret.

§. 4. Quæstio autem hîc oritur, in hoc nostro præprij negotio, utilissima; an, si quis non utrisque, sed alterutro tantum parente peregrino nascatur, nihilominus in puncto J. A. albinus censetur? Et olim quidem Athenis, ut quis Jure Albin. eximeretur, utroque parente cive nasci oportuit; cum, qui alterutro tantum cive natus esset, nothus, seu spurius appellaretur, nec optimo jure civis esse posset, nec maximos in Republ. Magistratus, quos Archontes vocabant, adipisci, quod tradit *Plutarch. in Themistocle. Qui & d. l. & in Pericle* illegitimum filium definit, qui ex cive & peregrinâ conceptus sit, quantumvis nobilem peregrinam uxorem duxisset. De Romanis quoque disertè *Livius l. 43.* quod coloniam conscripserint ex iis quatuor millibus hominum, quos Romani ex Hispanis mulieribus susceperant: *quia cives non erant.* Cæterum hodiè & de Jure communi, & de receptâ consuetudine, ad constituendum civem sufficit, alterutro parente cive nasci. Et quidem, si quis patre cive, matre autem peregrinâ nascatur, indubitato hæres sequitur originem patris, secundum dispositionem Juris communis in *l. assumptio. §. 1. ff. ad municipalem. l. filios. C. de municip. & origin.* quam regulariter cætera quoque regna terræque sequuntur: quod in specie circa Jus Albinagii in Galliâ notat *Papon. not. 3. des lettr. de natur.* Et Ant. Faber, Jct. Sebastianus *l. 6. Cod. tit. 19. de V. S. defin. 18.* meminit in Sacro Sabaudia Senatû decisisum, sufficere paternæ originis rationem, ne quis albinus censi possit, nec huic necessaria sit impetratio literarum naturalitatis, ut eodem in omnibus jure censeatur, quò regni originarius civis. Quod si verò quis matre tantum cive, patre autem peregrino nascatur, major est controversia & disparitas. Bertrandus *cons. 82. n. 15.* indistinctè pronuntiat,

nuntiat, filium retinere originem matris, & extendit hoc ad avū etiam maternum, atque citat ad hoc *Bald. aliosq;*: quem refutat *Boër. decis. 13. §. 7.* In Jure nostro *l. municipem. 1. §. 2. ff. ad municipalem.* ex speciali ratione Iliensibus, Delphis & Ponticis concessum fuisse videmus, ut qui matre Iliensi, Delphensi & Ponticā nasceretur, illorum municeps esset: & *l. eos. C. de decurion.* ex materno genere Curialibus Antiochenis adscribuntur, quos patris conditio nullius vindicaret juri civitatis. Quoad præsentem Juris articulum locorum distinctione opus est. In Italiæ namque partibus, ubi Jus Albinagii viget, non sufficit ad illud enervandum, matre cive esse natum: & extat Bononiæ expressum statutum, quod natus matre Bononiensi & patre alienigenâ, non possit tanquam albinus habere officia & beneficia, teste *Barbat. cons. 23. vol. 1. n. 9.* Quod refert *Alciat. l. 2. disp. c. 21.* quod, nisi olim civis Romanus duceret mulierem Romanâ, liberi in potestate patriâ non fuerint. Ast in Galliâ filii ipsi⁹ albinus, si quidē ibidē suscepti sint, ad instar civiū patris hæreditatem non quidem testamento, (quod peregrinis condere non licet) sed ab intestato capiunt, si mater civis fuerit, cūm hæreditas defertur; ut judicatum in curia Parisiensi fuisse d. 27. Augusti anno 1540. & 1549. it. d. 11. Martii 1536. & 1534. refert *Bodin. de Republ. d. l. 1. c. 6.* Circa quod studiosè notanda veniunt duo illa requisita, quæ *Bodin.* conjunctim ponit: *ut mater sit civis, & ut liberi sint in regno suscepti.* Hisce *Papon. alleg. tr. des lettr. de natur. & Rebuff. de lit. nat. art. 1. n. 4. & seqq.* tertium adjiciunt: *ut nempe in regno suum etiam domicilium habeant.* Quibus tribus concurrentibus Jus Albinagii cessare, & liberos patri suo peregrino, non tantūm ab intestato, quod dicit *Bodinus*, sed etiam ex testamento, si conditum fuerit, succedere: uno autem horum trium deficiente, liberos excludi, ac pro albinis haberi affirmant. A quibus omnibus longiùs recedentes *Ber. de Gir. all. s. l. Corm. l. 7. lur. Civ. Rom. Gall. c. 6. & Scholiast. ad Papon. l. 5. tit. 2. arr. 2. aliq;*: non esse de necessitate asserunt, ut mater sit civis, sed sufficere duo illa requisita: *quod nati sint in regno, & in eo habitent*: quibus duobus concurrentibus liberos parenti suo peregrino tam ex testamento, quàm ab intestato succedere. Et huic sententiæ hodierna, quod accepimus, Galliæ
praxis

praxis subscribit. Hinc hoc confectarium elicimus; nec so-
lam, quod initio hujus §. diximus, nativitatem, seu actum na-
scendi, nec solam habitationem, quantumvis longam, ad peri-
mendum Jus Albinagii sufficere.

§. 5. Secundò: civis quidem natus, sed patriam repu-
diando aliò domicilium transferens, ac civitatem acquirens.
Quæ ultima verba notabilem hunc in Gallia habent effectum,
ut licet quis civis Gallus totum vitæ suæ tempus in alieno regno
vel civitate transigat, nec tamen in eâ civitatem sibi tribui petat,
nihilominus civitatis jus, quod ipsi ex origine debetur, retineat,
nec unquam, etiamsi absens, dicente Boërio, per mille staret an-
nos, omittat: secus verò, si simul alibi civitatis jus acquirat. Et
in hunc modum Curia Parisiorum anno 1584. d. 14. Jun. judica-
vit Gallum hominem, qui annos quinquaginta Venetijs exege-
rat, nec Venetiarum sibi civitatem tribui petierat, (nihil tamen
hostile in patriam fecerat, nec crimen admiserat, cujus causâ ci-
vitate privari deberet, nec à Principe domum revocatus jussu re-
cusârat) civitatem non amisisse, sed legitimas hæreditates pro-
ximorum jure crevisse, referente *Bodin. d. l.* Sed hoc tantum in
Galliâ moribus observatur: in cæteris verò, ubi Jus Albinagij
obtinere locis, (ut & de hodiernâ generali Germaniæ consuetu-
dine, teste *Geilio l. 2. obs. 36. n. 5. & seqq.*) amittitur civitas
solâ domicilij translatione; si sc. eò animò quis locum originis
mutet, ut in aliâ provinciâ domicilium perpetuò figat, & ibidem
permaneat. Nam ad hoc, ut civis esse quis desinat, vel non, in-
spiciendus est animus, *l. postliminii. §. §. fin. ff. de capt. & postlim.*
qui quidem & variis actibus & præsumptionibus colligitur. In-
nuit hoc *Matth. de Affl. decis. 384.* & consentientes ad hoc ci-
tat Baldum & Jasonem. Nec obstat, domicilium, quod ex ac-
cidenti venit, non mutare causam originis. Non enim in hæc
nostrâ materiâ nobis sermo est de eo, quando domicilium & ori-
go sunt in eodem regno: sed quando in diverso ex externo do-
micihum constituitur, qui locus subjectus sit alteri summo Prin-
cipi. Hòc enim casu, propter domicilij constitutionem amitti-
tur naturalitas, ita ut recedens à nativo regno, nec in eo, nec in
externo (nisi sit civitate donatus) officia patriæ obire, aut veri
civis privilegiis uti possit, etiamsi cum cæteris incolis communia
onera

onera subeat. Hoc saltem interest, quòd ipsi origini in abstracto renuntiari non possit. Sic Gallus homo in Germaniam movens, animò civitatem in eà acquirendi, reverà definit esse civis originarius, adeò, ut tanquam albinus & quasi nunquam civis Gallus fuisset, si postmodum in Galliam habitandi ergò revertatur, novò diplomate & literis naturalitatis ad jura civium consequenda opus habeat: non tamen ipsi Gallia, ceu suæ origini ita in abstracto renuntiare potest, ut in Germaniâ civitate donatus, non amplius dicatur homo Gallus, qui multum differt à cive Gallo. Et hoc est, quod dicitur: Jus originis propriæ, quod naturale est, non mutari, licet Jus Incolatûs, quod civile Jus est, mutatô domiciliô mutetur.

§. 6. Cæterùm gravissimum hîc oritur dubium, An pater expressè renuntiando loco ac domicilio suæ originis adeò liberis præjudicet, ut civitatem paternæ originis non sequi, sed planè in hoc Juris articulo pro albinis haberi debeant? De Jure quidem nostro Civili simpliciter dicendum videtur, quòd non: quia filius omni tempore civitatem, ex quâ pater ejus naturalem ducit originem; non verò domicilium sequitur, l. 6. §. 1. ff. ad municipalem. cùm in patris personâ domicilii ratio temporaria sit, l. 17. §. 11. d. t. Verùm longè major in hâc materia, quàm primo intuitu apparet, quoad hunc casum est difficultas. Bodinus etenim *alleg. sapius l.* refert, Curiam Burdegalensem judicium omnium cœtu coacto definire non potuisse quæstionem propositam: An scilicet Hispanus homo in Hispaniâ natus & educatus, Galli tamen filius, in Galliam revocatus, à Principe rescriptum jure impetrare potuisset, ut jura civium consequeretur. Ac Bodinus quidem suam subjiciens *ἐπι- κρισις*, hunc planè peregrinum fuisse arbitratur. Magis anxie se torquet Præses quondam Curia Burdegalensis Boërius *decis. 13.* in quæstione huic non absimili: An filius in Hispaniâ longè post discessum patris à Regno Franciæ, expressè suæ propriæ origini (loco suæ originis) renuntiantis conceptus & natus, rediens ad domicilium originis paternæ, & suam continuam sine spe migrandi, ac fraude aliquâ trahens moram, possit infra illud tempus 41. annorum venire ad retractum, juxta consuetudinem patriæ? Et allatis multis variisve

E

quæ

quæ hunc extra Regnum Franciæ conceptum & natum, esse extraneum, forenses & albinum docerent, argumentis; tandem §. 30. & seqq. in contrarium concludit, hunc filium in Hispaniâ natum, tanquam verum originarium regni Franciæ, & non albinum, ratione originis paternæ, quæ eum in omnibus conservavit, posse sine impetratione literarum naturalitatis, infra tempus per consuetudinem proximioribus concessum ad retractum venire: idè quòd sit in assumptione successivâ civilitatis, per habitationem illius, qui fuerat civis; atque adè in utroque regno verus civis originarius, qui in utroque & originis propriæ & paternæ loco domicilium retineat, succedatque in honoribus & muneribus tam personalibus, quàm realibus, si ibi possideat bona: nec absurdum sit, ut quis duo habeat domicilia, licèt non tria aut quatuor, quod voluit *Alber. de Rosat. in l. si quis instructus. ff. ad municipalem.* Verùm enim verò, quòd minùs Boërio suffragari queamus, vel solum hoc, ut alia taceamus, nos movet *παράδοξον*, quòd quem uno eodemque tempore, duorum diversorum Regnorum ac Principum civem ac subditum, adæquatè talem, (non partialem aut honorarium) esse posse statuatur. Quòd longè deformius nobis in politicis videtur monstrum, quàm *Ictorum Hippocentaurus*, aut *Dialecticorum Chimæra*. Hoc quidem, quòd liquidi juris est, non negamus, posse quem habere duo domicilia; sed non eò, quò vult Boërius, modò. Atque hinc longè exactius æstimamus memoratum Bodini nostri iudicium; quòd confirmat *Pyrrh. in consuet. Aurel. tit. de success. §. 14.* ampliando hoc; ut liberi, huiusmodi patre extra regnum geniti, si postmodum ipsò mortuò in regnum revertantur, non tantùm à successione suorum majorum, qui remanserant in regno, sed à propriis etiam parentis sui bonis, quæ decedens in regno reliquerat, penitùs excludantur; quòd ita in praxi quoq; servari, innuere videtur *Cor. all. loc.* Cave tamen dixeris, eandem esse rationem eorum, qui à parentibus, loco originis non expressè renunciantibus, in loco peregrino extra regnum nativum nascuntur. Hi enim, consideratâ patris origine, & undè potius oriundi, quàm unde orti, non albinis, sed veris originariis civibus annumerantur; ut decisum in sacro Sabaudia Senatù refert *Ant. Faber. alleg. tit. & desin.* Et olim quoque, qui in Africa, utroque

utroque cive Romano natus esset, non minùs erat civis, quàm si in ipsâ urbe Româ originem accepisset. Nec deteriore jure censendi sunt, qui à parentibus peregrinantibus per transitum nascuntur. Qui enim nascitur parentibus, salvo civitatis jure peregrinantibus, civis nascitur ejus civitatis, non in quâ fortè nascitur, sed in quâ pater civis est, & in quâ natus esset, reversis à peregrinatione parentibus. *Elbert. Leoninus cons. 34. & 44.* qui & ubique hanc sententiam dicit probari: quanquam huic contradicat *Perez. C. de municip. & origin. n. 4.* Quousque autem hoc extendendum sit, quòd nati in peregrino loco, extra domicilium originis paternæ, civitatem originis paternæ retineant; nova & hòc locò non indigna est quæstio? Et *Boër. alleg. decis. secundùm communem, uti vocat, Bartoli, Baldi, aliorumque opinionem, ad avum usque id extendendo, albinum in hypothefi §. 45.* definit, qui nec ipse, aut ejus pater, aut avus fuit in regno. Sed longè verior, in hoc præsertim juris articulo, nobis videtur *Accursij*, quem *Platea* alijsque sequuntur, opinio *ad l. filios. 3. C. de municip. & origin.* quòd filius tantùm paternam, non etiam avitam originem sequatur. Nec obstat *l. 17. §. 9. ff. ad municip.* ubi nepos filij adoptivi sequitur originem avi etiam naturalis. Procedit namque, quando in avi potestate est editus: secùs si avò mortuò nascatur; tunc enim tantùm origo patris inspicienda venit.

§. 7. Tertio: qui quidem per civile rescriptum jura civitatis ab alieno Principe est consecutus, nec tamen sub ditione Principis illius domicilium constituit. Sic si Germanus impertratis à Rege Galliaë literis naturalitatis, denuò repudiatâ Galliâ in Germaniam moveret; perinde esset, ac si nunquam in civium Gallorum numerum cooptatus fuisset. Fit enim hòc modò rescriptum Principis planè inutile, quòd duplicem fictionem jura non patiantur. Et *Ludovicus XII. Rex Franciaë* eos omnes, qui rescripta civilia impetraverant, ac desertâ Galliâ domum redierant, albinos esse declaravit, attestante *Bodin. d. l.*

§. 8. Quarto: Captivi & obsides. Licèt enim abrogatò Jure veteri *l. obsides. 9. ff. qui test. fac. poss. & l. divus. ff. de Jur. Fisc.* generalis consuetudo hodiè apud Christianos invaluerit, ut captivi & obsides non fiant servi hostium, atque adedò te-

standi jus retineant, nisi fortè obsides & captivos Christianos apud Turcas vel alios Barbaros excipere velis: attamen non obstante generali hâc orbis Christiani consuetudine, Jus Albinagij in Galliâ exercetur adversus obsides, quantumvis Christianos; ita ut de rebus, quas secum in regnum detulerunt, si in eo ipsis excedere contingat, per testamentum disponere, aut proximi ipsorum ab intestato succedere haut valeant. *Papon. not. 1. de testaments. vers. Troisieme.* Quod tamen servari negat *not. 6. des lettr. de natur.* si modo in Gallia habeant liberos vel cognatos.

§. 9. Quintò albinis in hoc juris articulo annumerantur etiam nati post admissum crimen, rebellium ac criminis læsæ damnatorum filii, nisi per Principem reappellentur, quod dicit *Boër. alleg. decis. §. 27.* Et procedit ratio ab atrocitate hujus criminis, quæ etiam ad ipsos filios, post admissum crimen natos extenditur; ut & hi infamiâ notati, factione testamenti careant: prout pariter ita de jure communi constitutum reperimus. *l. quisquis. §. filii. C. ad L. Iul. Majest.* Quod etsi crudele videri possit: antiquum tamen esse & omnium civitatum commune, dicit *Cicero Epist. ad Brut.* ut nempè charitas liberorum amiciores parentes Reipubl. redderet.

§. 10. Sextò ampliatur hoc procedere in simplici viatore, qui non in regno commoratur, aut habitat, sed fortè peregrinatur & transit; ut & ipsius, ad instar cæterorum albinorum, bona fisco cedant. Negant id quidem pervicaciter *Rebuff. de lit. natur. art. 1. gl. 1. n. 8.* & *Papon. not. 3. d. l.* (qui tamen *v. voila. d. t.* id de bonis immobilibus, quæ in regno possedit, concedit, etsi non de mobilibus) sed longè verior ac praxi Galliæ congruentior est opinio: simplicem quoque viatorem tam quoad mobilia, quàm immobilia, sine ullâ exceptione, albinum censerî.

§. 11. Limitantur autem dd. Conclusiones non procedere (1.) in albinis cujuscunque nationis, præterquam Anglis, commorantibus in civitate Burdegalensi. Hisce enim speciali Ludovici Regis Franciæ, hujus nominis XI. privilegio indultum est, ut sine præviâ literarum naturalitatis impetratione, ad instar verorum civium & acquirere, & de acquisitis liberè per testamentũ disponere valeant: modò non de acquisitis in regno quicquam

quicquam extra regnū vendant, aliēnent aut transportent. Quod privilegium cūm præcipua fermè totius Juris Alb. capita complectatur, ut quasi quædam ejus epitome dici possit; non ingratum lectori, nec huic nostro labori indecorum fore speravimus, si ejus ex Boërio tenorem hîc commodè subjungeremus, qui talis est: *LOVIS: Savoir faisons à tous presens & avenir, que comme en nostre ville & cité de Bourdeaux il y ait plusieurs des habitans & demeurans en icelle, non natifs de nos Royaume & Seigneuries, qui ont acquis en nostre dite ville & ailleurs és environs, des biens en esperance de faire leurs residences en nostre dite ville & ailleurs en nos dits Royaume & Seigneuries, toute leur vie. Ce neantmoins ces estrangers, ainsi qu' avons esté advertis, doutent, pource qu' ils ne sont pas natifs de nosdits Royaume & Seigneuries, que apres leur deces l'on voulust mettre empeschement en leurs dits biens & les prendre de par nous comme aubenes, si nostre grace ne leur estoit sur ce impartie. Pourquoy nous ces choses considerées, & que tant plus il y aura de gens demeurans en nostre dite ville, ce sera le bien, profit & utilité de nous, & de la chose publique d'icelle, desirans à ceste cause, que tous estrangers y viennent habiter & demeurer. Et affin qu' il y ait meilleur vouloir & courage de ce faire, ausdits estrangers, tant ceux qui sont à present residens & demeurans en nostre dite ville & cité de Bourdeaux, qu' aussi aux autres, qui y viendront doresnavant demeurer, de quelque pays, nation, ou condition qu' ils soyent, amys ou ennemis, de nous & nosdits Royaume, Pays & Seigneuries, qu' autres quelconques: reservez toutesfois ceux qui sont natifs du Pays & Royaume d' Angleterre seulement. Pour ces causes & autres considerations à ce nous mouvans. Avons octroyé & octroyons, voulons & nous plaist de grace speciale, pleine puissance & autorité Royale, par ces presentes, qu' ils & chascun d' eux puissent acquerir en nos dits Pays, Royaume & Seigneuries, tant & tels biens meubles & immeubles, qu' ils pourront licitement acquerir, & d' iceux biens ensemble de ceux qu' ils y ont ja acquis ordonner & disposer par testament, ou autrement ainsi qu' il leur plaira. Et que leurs heritiers leur puissent succeder & apprehender leurs successions, tout ainsi que si eus & leurs hoirs estoient natifs de nostre dit Royaume. Et quant à ce les*



Avons habilitez & habilitons de nostre dite grace, par cesdites presentes, sans qu' aucun empeschement leur soit, ou puisse estre mis ou donné au contraire, ne qu' ils soyent tenez pour ce payer à nous, ni aux nostres, aucune finance, laquelle nous avons à iceux estrangers ainsi demeurans en nostre dicte ville & cité de Bourdeaux, & autres qui y viendront demeurer doresnavant comme dit est, donnée & quitée, donnons & quitons de nostre plus ample grace par cesdites presentes signées de nostre main. Pourveu toutesfois que les dits estrangers soient tenez faire leur demeurence & residence en nostre dite ville de Bourdeaux, ou banlieue d' icelle & non ailleurs. Et aussi qu' ils ne pourront vendre, aliener, transporter, ni emmener hors iceluy nostre dit Royaume ce qu' ils y ont ainsi acquis, ou acqueront le temps advenir, comme dit est. &c.

§. 12. Limitatur (2.) non procedere in albinis transeuntibus, vel inhabitantibus civitatem Tholosanam, teste Raynutio, quem citat Boër. alleg. decis. §. 19. nec non incolis totius Occitaniæ provinciæ, Papon. not. 3. d. tit. (3.) Excipiuntur, privilegiô Regiô ab hoc Jure immunes, Studiosi Germani, in matriculam Nationis Germanicæ in Academiis Gallia, maxime Aurelianensi, recepti. P. Greg, Tholos. Synt. Iur. univ. l. 45. c. 16. §. 7. Gothofr. in not. nostr. Authent. Coll. Arg. ad ff. de hered. instit. §. 4. Cujus in matriculam susceptionis tanta est virtus & efficacia, ut, in quocunque Regni loco hi Studiosi decesserint, liberè de suis rebus testari, ac etiam suis, extra Galliam heredibus, ab intestato relinquere queant. Ne verò hæc in casu mortis, extra Academia locum, fortè in dubium vocari, aut decedens Studiosus, ex hujus ignorantia, albinus censeretur posset; obtinuit, ut cuivis immatriculato, specialiter id requirenti, factæ receptionis documentum, membranæ eleganter impressum, & Procuratoris, Quæstoris, Assessoris & Bibliothecariorum Nationis Germanicæ, nec non Notarij Regij subscriptionibus, Magnôque prædictæ Nat. Germ Sigillo corroboratum, detur: Cujus exemplar cum fortè mihi abs honoratissimo Viro, qui quondam Aureliâ discedens, illud sibi prædictô modô attribui curaverat, communicaretur; non indignum visum fuit, quod rei illustrandæ ergò huc transcriberetur. Illud verò se habet:

habet: Nous Procureur, Receveur, Assesseur & Bibliothecaires
de la Noble & Illustre Nation d'Allemagne, Establie en l'Uni-
versité Royale d'Orleans. A tous ceux qui ces presentes lettres
verront, salut. Sçavoir faisons que Prudent & Vertueux Hom-
me le Sieur N. N. à fait mettre & enroller son nom au Roolle &
Catalogue de Nostre Nation, & ce faisant à esté reconnu pour
membre, & partie tant de l'Université dudit Orleans, que de
nostre dite Nation, & partant qu'il doit iouir & vser comme
nous, de tous & chacuns Privileges Royaux, donnez & octroyez
à nostre Nation, par la clemence & liberalité des Anciens Roys
de France Tres-Chrestiens, & de nagueres confirmez par sa Ma-
jesté, LOVIS à present regnant, verifié par la Cour de Parle-
ment, leüe & publiée au Chastelet d'Orleans, qui sont tels, qu'en
vertu d'iceux il est permis audit Sieur &c. qu'il luy est per-
mis, au cas qu'il decede en ce Royaume, de disposer de
tous les biens meubles, & les laisser & donner à qui bon
luy semblera, par Testament ou autre dispositions legitimes:
Nonobstant que par droit d'Aubeine ils deussent appar-
tenir au Roy, &c. Toutes lesquelles choses estans ainsi portées,
& contenuës par nos Lettres de Privileges à Nous donnez & octro-
yez comme dit est, Nous supplions tous lecteurs des presentes, qu'au
sudit Sieur N. N. ils prestent main forte & assistance, à ce qu'il
puisse iouir pleinement & paisiblement de tous lesdits droits &
Privileges, selon le desir & intention du Roy, lequel veut aussi
que ces presentes signées de la main du Notaire Royal, soient de
mesme force & auctorité que l'Original: Quoy faisant ils obli-
geront tant ledit Sieur, que tous ceux de nostre Nation, d'estre
de plus en plus à toute la France, & principalement à sa Majesté,
les tres-humbles & affectionnez serviteurs. DONNE en nostre
Bibliotheque à Orleans &c. Hinc verò non satis mirari pos-
sumus, quid Boërio in mentem venerit, quando *all. decis. §. 18.*
scribit, quòd scholaris (studiosus) decedens, non nisi cum per-
missu & licentiâ ac congedio Regis, seu literis naturalitatis ab
eo prius obtentis, testari possit; citans ad hoc Raynutium fol. 156.
n. 142. Longè justior de Germanis est querela Iodoci Sincerè
in Itiner. Gall p. m. 67. Offertur, inquit ille, Germanis Aureliam
venientibus per Pedellum matricula Nationis, Cui mirum haud
paucos

paucos nomina sua eò usq; negare, ut vel cum incommodo abire malint, quàm in hanc civium suorum veluti Rempubicam adoptari: è quâ tamen vicissim commoda haut pœnitenda ipsis percipere licebat.

§. 13. Excipiuntur (4.) Helvetii, Artesii, Hannones, Turnesii, Cameracenses, Scoti ac milites pratoriani, qui in eodem Jure sunt, quò cives, quantum attinet ad jura successionis: idque Regum Galliaë edicta de anno 1406, 1482, 1497, 1549, 1564. & 1578. & res judicatae sæpiùs comprobârunt, quod dicit *Bodin. all. sèp. l. Conf. Rebuff. proëm. Const. Gall. gl. 5. n. 82. seqq. Papon. 5. Arrest du droit d' aub. & not. 3. d. t.* (5.) Incolæ Comitatus Burgundiaë, vulgò Francheconté: de quò non pigramur verba *Chassanæi Rubr. 2. in verb. qui confisque le corps. n. 38. huc reponere: Apud nos, inquit ille, nati in Comitatu Burgundiaë reputabantur albinì, & vidi plures literas naturalitatis ab incolis & oriundis in dicto Comitatu: quod non videbam equum, ex quo Comitatus Burgundiaë dependet à Regno & fuit de feudo Ducatus, prout adhuc deberet esse. Propterea vidi à certis annis citra plures declarationes factas per Regem, quod non intendebar, quòd nati & oriundi in Comitatu Burgundiaë reputarentur albinì, nec quod ampliùs erat eis necesse impetrare literas naturalitatis, & ita vidi de quodam filio Domini de Rye, qui habuit literas à Rege declarativas hujus juris, ut dictum est, & fuerunt lectæ in Parlamento Divionensi me presente & audiente, anno 1527. Hæc Chassaneus. Restringunt prædicta *Rebuff. & Cor. dd. loc.* quod hodiè incolæ Comitatus Burgundiaë fruuntur quidem privilegiò civium in terris Comitatus Burgundiaë: non verò in aliis provinciis Regni Galliaë, de quo usurpamus vetus illud Romanorum: **NON Liqueat.** (6.) Mercatores peregrini, qui ad nundinas Campaniæ ac Lugduni proficiscuntur: qui si interim moriantur, nihil de bonis eorum fisco decerpere licet, rescriptò *Philippi Valesii, 1339. & Caroli VII. 1445.* Quò jure etiam Mercatores Anglos in Aquitaniâ frui dicit *Bodin. d. l.* (7.) Mercatores civitatum Hanseaticarum, seu, quæ ad mare Balticum societatem iniverunt. Nam hi eadem & adhuc uberiora jam inde à Ludovico Juniore consecuti sunt beneficia, & sanctiùs à Carolo VIII confirmata: quæ superiori quoque seculo à Danezio Gallo apud Daniaë*

Daniæ Regem Legato ad Carolum IX. missa sunt, ut ab eo renovarentur. Quæ tamen beneficia prædictis mercatoribus tributa non extenduntur ad peregrinos mercatores, qui jura civium adipiscuntur, ex Decretò Senatûs de anno 1569, ref. Bodin. all. loc. (8.) Legati: ita ut de rebus, quas secum legatione apud exteros functi, detulêre, possint plenissimè testari; aut si intestati decedant, hæ per legitimos hæredes, non quidem ex permissu, sed de jure Gentium repeti. Atque ita etiam ipsa Turcica Barbaries, cui aliàs quodvis justum, quod utile, servare consuevit: Quod recens, supremum superiori anno Constantinopoli diem cludentis Razievvskij, Serenissimi Poloniarum Regis Legati, exemplum comprobavit.

C A P. VI.

*De Jure statum albinorum concomitante
& subjecto, quod F. A. à successione
excluditur.*

§. 1. **C**Ognitò albinorum statu, de jure dicendum est, quod tanquam effectus suam sequitur causam. Ac hîc inîtiò, quod supr. verbò saltem attingere licuit, pleniùs dicimus: censerî albinos Jure Albinagij incapaces acquisitionis bonorum, officiorum & beneficiorum in regno, attestantibus P. Greg. Tholos. Synt. Jur. univ. l. 3. c. 12. §. 11. C. Molin. Consu. s. Constit. alm. Par. urb. ad §. 30. item le vassal. 182. & clariùs. d. lib. gl. 1. in verb. le Seigneur fœdal. 73. Boër. decis. 13. n. 18. aliq;: Ac ita decisum in Galliâ fuisse Constitutione Regiâ, 6. Idus Martias 1431. refert P. Greg. all. loc. Bodinus quoque d. lib. 1. c. 6. specialem contexens catalogum, in universâ Bohemiâ, ac penè totâ in Italiâ, præcipuè Ferrariæ, ne glebam quidem agri jure domini: nec possessionem prædiorum moribus Perusinorum: nec usumfructum Mediolani peregrinis habere fas esse: imò ne pignori quidem apud Anglos (quâ de re Legati exterarum gentium sapiùs conquesti sint) debitorum prædia peregrinos creditores subjicere posse recenset. Quod autem de plerisque
F Germa-

Germaniæ regionibus tradit, ac si nec in his ne glebam quidem, quod dicit, agri, peregrinis jure dominij habere fas sit: in hoc denuò & imperitus & injustus censor est. Non licet quidem nobis esse tam experientissimis, ut cujusvis etiam minutissimi in Germaniâ anguli statuta ac consuetudines rimati fuerimus; hoc tamen affirmare sustinuerimus, vix in ullô Germaniæ angulo tam incivile statutum aut absurdam consuetudinem reperiri. Ac ne quidem hodiernis moribus tam incivilis in memoratis, ubi Jus Albinagij obtinet, locis, rigor servatur: cum præprijis in Galliâ, vel ipsô Bodinô teste *d.l.* liceat hodiè peregrino prædia tum urbana, tum rustica & pecuniarum vim infinitam quærere; licet non æquè in regno beneficia & officia obtinere. Quin imò ex licentiâ Regis, seu per speciale naturalitatis rescriptum, à Rege alicui peregrino ad obtinenda in regno beneficia & officia concessum, (quod à generali naturalitatis rescripto multum differt) potest quoque peregrinus officia ac beneficia, seu dignitates Ecclesiasticas, veluti Episcopatus, Abbatias, obtinere. Quanquam autem summus in hoc rigor æquitate quodammodo temperatus sit, nihilominus tamen peregrini (non obstante, quod prædicto modo in regno actualiter acquiritant) censentur per fictionem Juris incapaces acquisitionis bonorum ac beneficiorum: Cujus fictionis tanta est efficacia, ut etiamsi albinus vel sexcenta prædia ac infinitum divitiarum cumulum in regno acquisivissent, aut ad maximam & illustrem dignitatem evecti fuissent, non tamè sine generali civilitatis rescripto in iis Jus Albinagii exspiret, ut de tot tantisque bonis per testamentum disponere, aut ab intestato justis hæredibus relinquere possint. *Conf. præter. cit. DD. Gallie, Vasq. de succ. resol. l. 1. §. 1. n. 149.* Et hoc est, quod in definitione expressimus; omnem peregrinis abdicari testamenti factionem.

§. 2. Ac primò quidem adimitur albinis testamenti factio activa, id est, jus faciendi testamenti: quomodo in Jure nostro accipitur, *l. 3. l. 4. l. 8. in fin. l. is cui leg. 18. ff. qui test. fac. poss. l. 1. §. exigit. 8. de bon. poss. sec. tab. l. 1. de test. mil. l. 1. §. 1. de tut. & rat. distr. l. 3. C. de Apost.* Et testantur inter alios de hac consuetudine, disertissimis verbis *P. Greg. all. loc. §. 9. Boër. d. decis. §. 18. & 45. Ant. Fab. all. lib. 6. Cod. def. 18. Bod. d. l. 1. c. 6. & Vasq.*

¶ Vasq. de succ. resol. l. 1. §. 4 n. 9. Cui accedit omni auctori-
 tate fortior receptissima praxis; quam solidissime demonstrat
 supr. enarratum civitatis Burdegalensis incolis concessum à Lu-
 dovico XI. Rege Galliarum privilegium. Ut hinc vix refutatione
 dignus sit Chassanæus, qui *Rubr. 2. des confiscations. §. 1. in verb.*
qui confisque le corps. n. 37. albinis testamenti factionem acti-
 vam attribuit: eos in Galliâ albinos dici asserens, qui moriun-
 tur intestati, nullis liberis relictis in Galliâ. Quod aded fal-
 sum est, ut si unquam *Tiraquellus in repet. l. si unquam. C. de re-
 voc. donat.* Chassanæum optimo Jure imperitiæ insimulare po-
 tuit, certè in hoc maximè possit. Citat quidem in suam sen-
 tentiam *Boërium in Consuet. Bituricens. tit. de test. §. fin. & Matth.*
de Afflict. Const. Neapol. de off. secret. §. 15. fin. sed planè sine ra-
 tione. Boërius namque *all. loc.* agit de bastardis, quos dicit &
 probat rationibus ac præjudicio curiæ Parlamenti Parisiensis,
 posse quidem in Regno Franciæ testari, & de bonis suis liberè
 disponere: sed iisdem ab intestato decedentibus fiscum succe-
 dere. Quæ verò est ratio, à bastardis ad albinos argumen-
 tari, ac quæ revera separata sunt, non etiam separato, sed eodem
 jure censere? Quod *locum all. Matth. de Afflict.* attinet, ejus ver-
 ba *supr. c. 4. §. 3.* integrè relata, Chassanæo in os contradicunt:
 quanquam ne quidem de Galliâ, sed de Sicilia ipsi sermo sit. Et
 credo Cynum, qui quidem adhuc in vivis existeret, non se hîc
 temperaturum, quin illicdè proclamaret: *Non posse Dn. Chassana-*
um hoc probare cum omnibus glossis usq; Venetias. Atq; aded firma
 ac inconcussa stat hæc nostra Conclusio: Non posse albinum,
 ubicunque Jus Albinagii obtinet, de suis per testamentum re-
 bus disponere.

§. 3. Et ampliatur (1.) procedere, ut non valeat hæ-
 redis institutio, etiamsi liberi, id est, sui & necessarii hæredes
 essent; de quo mox infra. (2.) Etiamsi originarium aliquem
 regni instituerit: cum ea sit albini incapacitas, ut nullum pos-
 sit in eâ provinciâ hæredem habere, quæ Jure Albinagii uti-
 tur, nisi cum privilegio civitatis (*conf. supr. §. 10. & 11.*) à ju-
 re communi totius provinciæ recessum est; ut decisum refert in
 sacro Sabaudia senatu *Ant. Fab. all. loc.* (3.) Etiamsi uxor ori-
 ginaria sit instituta: quæ nec succedit marito peregrino *ex capi*

Vnde vir & uxor : ne quidem in quartâ, *ex Auth. Præterea. C. unde vir & uxor. Cor. dd. loc. Pap. de testam. v. ledit.* Et absurdissimus hîc est *Rebuff. d. t. art. 1. gl. 1. n. 45.* maritum peregrinum posse in favorem uxoris in regno natæ testari asserens.

(4.) Etiam si institutus civis, sit cognatus collateralis in ipso Regno natus & domicilium habens. Nam nec hic quidem vel ex testamento vel ab intestato cognato albino succedere potest; cùm ei fiscus omni ex parte præferatur; ut judicatum meminit *Papon. l. 5. tit. 2. arr. 4.* & hîc seipsum refellit, quando *not. 3. des lettr. de natur.* cognatum collateralem regnicolam, exclusô fiscô, albino succedere dixerat. (5.) Ampliatur, ut ne quidem ad pias causas albinus testari possit: quemadmodum ita pro Rege judicatum esse contra legata pia, relicta Monasterio, refert *Chopin. de sacr. pol. l. 3. c. 1. n. 28.* Quod etiam *l. 1. C. de SS. Eccl.* unicuique decedenti liberè ad pias causas testari, ac bonorum, quod optaverit, locis religiosis relinquere permittitur; id intelligendum est, si habeat testamenti factionem activam. Ideoque furiosus, mutus, surdus, pupillus, deportandus & ban-nitus non possunt ad pias etiam causas testari. *Conf. Gothofr. in not. ad d. l.* (6.) ut nec codicillos facere, nec legata vel fideicommissa relinquere possit. *Vasq. de succ. resol. l. 1. §. 1. n. 124. & 130.* Quod *Bodinus d. l.* ad hypothesein reducens, si cui quid, inquit, à peregrino legatum esset earum rerum, quæ extra patriam quar-sitæ fuissent, caducum fieri legatum ac Principis fisco cessisse, nostrisque moribus cedere contritum est: quo jure in universâ Galliâ utimur. (7.) Ut nec mortis causâ donare possit. *Vasq. ib.* Quod etiam ad mortis causâ capiones extendi debet; quæ sunt, quando quid occasione mortis alicujus percipitur, quod non habet speciale nomen; seu quod aliter capitur, quàm per legatum vel fideicommissum aut donationem causa mortis, nec aliàs debetur.

§. 4. Limitatur autem prædicta Conclusio tantùm procedere (1.) quoad bona in regno peregrino sita, non de iis, quæ extra illud regnum albinus in loco nativo possidet. De hisce enim liberè testatur, & testamentum apud suos valet: quod *præter cit. auth.* explicat *Cujac. ad l. obsides. ff. qui test. fac. poss.* (2.) Tantùm procedit, si albinus habitaret in ipso regno peregrino

grino & decesserit in eo. Quod si nec in eo habitaret, nec in eo decesserit, testamentum, quod fecerit, valet, & ejus bona deferuntur testamentario hæredi, vel nullò testamento factò, legitimis suis hæredibus, licet sint peregrini. *Papon l. 6. not. 3. d. t.* Quod explicatiùs docens *Bodin. d. l.* hoc albinis datum, & in curiâ Parisiorum Febr. 23. anno 1518. judicatum refert, ut si extra Galliam moriantur, testamentum condere, ac filios in Galliâ susceptos ab uxore, quæ modò civis sit, hæredes scribere possit. (3.) Fallit quoad donationes inter vivos. Potest quippe albinus liberè donare inter vivos ac quæsita prædia se vivo ac spirante vendere ac distrahere, vel etiam peregrinis æquè ac civibus largiri, ut judicatum fuisse in curiâ Parisiorum diebus Nov. 1544. refert *Bodin. d. l.* Restringit tamen hoc *Papon. l. 5. tit. 2. arr. 6. & not. 3. d. t.* quod inter vivos donare quidem albinus possit, modò non faciat in fraudem hujus juris. Hinc si quis donaret inter vivos ægrotans, censetur hæc donatio facta in fraudem hujus juris, & est inutilis, licet non nisi de parte bonorum esset. Quod similiter procedit de donatione factâ inter vivos ab eo, qui quidem non ægrotaret, dummodo præsumptio aliqua fraudis adsit: ut si usque ad mortem donator possederit, quæ donaverat, aut sibi reservaverit potestatem de eis disponendi, aut oneraverit donatarium implere, quæ testamento suo ordinâssent, aut si donationi sit adjecta aliqua clausula revocandi eam donationem in certum casum, & si quæ sunt alia. Unde hoc consuetarium elicimus, idem hodiè Juris obtinere in albinis, quod olim in Latinis Junianis. Vivunt enim ut liberi, quia inter vivos de suis bonis possunt disponere: moriuntur verò ut servi, qui nec testari nec donare mortis causâ possunt. (4.) Fallit, si albinus sit civitate donatus, *de quo infra s. l.* Extendimus verò hoc, ut procedat, etiamsi conditò jam testamento, albinus primùm ante excessum, jure regnicolatûs donaretur. Quò scil. casu testamentum, priùs non jure factum, convalescit, & acsi in principio testator reverà testamenti factionem activam, & instituti passivam habuissent, retrò validum ac legitimum habetur. Et hoc usque adeò, ut, sive sui & necessarij hæredes, sive cognati collaterales originarij, sive quivis alius Regni originarius instituti sint, exclusò fiscò, ex illo testamento



succedere possint. Quòd si verò partim cognati originarii, partim cognati peregrini instituti sint, soli originarii, exclusis peregrinis succedunt, licet peregrini proximiores gradu essent. Et dicit *Bodin. all. loc.* clausulam illam in rescriptis civilibus adjectam, *modò heredes sint regnicola*, iudices sic interpretari; ut incolæ regni, propinqui eorum, qui civitatem adepti sunt, ab hæreditate summoveant cæteros, qui extra Galliaë fines domicilium habent, ut iudicatum in Curiâ Parisiorum d. 7. Martij ann. 1533. Quod ampliatur procedere, etiamsi peregrini illi, gradu proximiores, in regno domicilium haberent, vel etiam post delatam hæreditatem rescriptum naturalitatis primùm impetrarent. *Pap. not. 3. d. l.*

§. 5. Secundò abrogatur albinis testamenti quoque factio passiva, quæ activæ contradistinguitur, & est jus capiendi ex alieno testamento, seu, quò quis hæres institui potest. Et vocatur ita à *Dd.* docendi ergò, non obstante, quòd testamenti factio activæ significationis sit, ut dicatur propriè testamenti factionem habere, qui faciendi facultatem habet: cùm hæc verborum proprietas ne quidem in ipso Jure nostro observetur, ut videre est §. *In extraneis. 4. l. de her. qual. & diff. l. filiusfamilias. 16. ff. qui test. fac. poss. l. ult. ff. pro hered.* quibus in locis testamenti factionem dicuntur etiam habere illi, qui tantùm ex testamento capere possunt. Quanquam rectiùs & commodiùs, qui ipsi testamentum facere non possunt, sed tantùm ex testamento capere, cum iis dicatur esse vel haberi testamenti factio, prout loquitur *Imp. §. testes. 6. l. de test. ord. §. servus etiam. 2. de hered. instit. §. legari. 24. de legat. l. non minus. 31. l. si alienum. 49. §. 1. ff. de hered. inst. l. 7. ff. pro legat.* Non esse verò in hóc Juris articulo cum albinis testamenti factionem, & supra demonstravimus, & *all. auth.* confirmant. Solus Paponius, quod quidem sciamus, in tantum à communi doctrina recedit, ut factâ distinctione inter verè originarium civem, & illum, qui per naturalitatis rescriptum Jus civitatis à Principe impetravit; posse quidem moribus regni Galliaë albinum in testamento illius, non verò hujus hæredem institui, aut ipsi legata relinqui affirmet, *d. not. 3. all. r.* Et ponit d. l. tanquam veram differentiã civis originarij & regnicolatus jure donati; quòd ille albinum possit instituere, hic non
item:

item: & quòd liberi quoque parentis naturalifati liberè testentur, & peregrinum instituunt, licèt eorum pater non possèt instituere, nisi originarium vel jure civitatis donatum. Nec hoc adeò absurdum videtur, cùm plus sit posse hæredem instituere, quàm hæredem institui: Et multi rectè instituuntur, qui tamen instituendi facultatem non habent, ut furiosus, infans, filiusfamilias, mutus, furdus, §. 4. *l. de hered. qual. & diff. l. 16. pr. §. 1. ff. qui test. fac. poss.* Et diximus §. præc. eòdem hodie albinos jure frui, quò olim Latinos Junianos: At hi poterant institui, licèt non instituere. Amplectar tamen, ut ut hæc Paponio suffragari videantur, communem sententiam, quâ albino neque ex testamento civis originarij, neque in civitatem assumpti quicquam capere licet, si causam alimentorum excipias. Non etenim arbitramur, deterioris in hoc casu debere esse conditionis albinos, quàm deportatos, & alios omninò incapaces, quibus ex causa alimentorum legari potest, *l. is cui. 11. ff. de alim. leg. l. si in metallum. 3. de his, quæ pro non script. l. cum Vlpianus. 16. de interd. & relegat.*

§. 6. Ex his tertium consequens est: justos & legitimos albini hæredes à successione prorsus excludi. Et intelligimus per justos hæredes, non qui sic differant à legitimis, sicut filius justus à legitimo; quando scil. natus ex concubinâ, secutò postea matrimoniò, legitimus quidem dicitur, non tamen justus: sed qui suò jure succedere possunt, sive sint testamento scripti, sive non; non obstante *l. ea verò. 3. §. de illo. ff. pro socio.* Per legitimos autem non tantùm consanguineos & agnatos, qui præter suos ex lege succedunt (unde potissimùm in jure legitimi dicuntur) sed etiam suos & necessarios, per *l. de bonis. 6. §. 2. de Carb. edict. l. 7. pr. ff. si tab. test. null. ext. l. 1. §. 11. de succ. edict. l. jurisconsultus. 10. de grad. & affin.* Et hi omnes, sive sint sui, sive extranei, sive testamentarij, sive legitimi hæredes, adeò in totum removentur, ut neque ex testamento, neque ab intestato succedere valeant, sed omnia albini bona totaliter fisco cedant, *Boër. decis. 13. §. 18. P. Greg. all. lib. & c. §. 11. Vasq. d. l. n. 124. & 130. text. priv. Burdeg. inc. supr. expos.* Quæ conclusio ita generalis est, ut non nisi in unico casu exceptionem admittat: quando videlicet liberi ex matre cive in regno sint nati; aut tantùm in regno nati, in eo habitent, *supr. c. §. 3.* Hòc enim casu liberi, exclusò fisco, parenti

parenti suo peregrino & ex testamento & ab intestato succedunt; adeò ut ne quidem pater peregrinus in præjudicium horum liberorum de bonis in regno sitis disponere possit, dicente *Papon. not. 1. des testam. vers. ledit.* Quòd si verò hi liberi postea decedant sine liberis, vel eorum liberi sine liberis, bona, quæ eis ex successione parentis peregrini obvenerint, ad fiscum redeunt: cætera, quæ adquisiverint, eorum hæredibus cedunt. *Boër. conf. Bitur. d. l.* Quod tamen *Papon. all. l. des lettr. de natur.* restringit, si hi liberi intestati decedant; secùs si testamentum fecerint.

C A P. VII.

De subjecto, quod Jure Albinagii albinis succedit, & ejus succedendi modo.

§. 1. Cùm unius corruptio alterius sit generatio; ordinis ratio postulat, ut, postquam justos & legitimos hæredes à successione removerimus, quod in horum remotorum locum succedat, subjectum doceamus. Expressimus hoc per ultima definitionis verba: *fiscus succedit.* Capimus verò fiscum hîc strictè pro thesauro seu ærario Principis privato, in quem pecunia ad Majestatem Principis conservandam statuta conferitur: quò sensu hodiè, docente *Chassaneo rubr. 8. des success. de bastards. §. 1.* vulgus capit fiscum pro Rege aut Imperatore, in cujus loco est Procurator ejus.

§. 2. Quando verò subjectum succedens ac recipiens in hoc Jure fiscum dicimus, quæstio exsurgit, an in Galliâ (de cæteris enim res plana est) soli Principi seu fisco Regio hoc Jus succedendi competat; vel etiam Dominis territoriorum, seu altam Justitiam habentibus? Non satis validè ad hanc quæstionem concludit *Chassaneus rubr. 2. des confiscations. §. 1. in verb. qui confisque le corps.* argumentando ex capite confiscationis. Rex quippe Galliæ in bona albinorum succedit, non titulò ac jure confiscationis, sed quasi vacationis. At de consuetudine & itilo curiarum Franciæ tanta inter jura confiscationis & vacationis est differentia: ut illò quidem solus Rex, vel ejus judices ac officia-rij, exclusis dominis temporalibus ac altis Justitiarijs confiscent.

Boër.

Boër. decis. 264. §. 5. & 6. Hôc verò non solus Rex, sed alti etiam Justitiarij bona vacantia capiunt: Atque hinc dicendum videbatur, in bona albinorum, tanquam vacantia, non solum fiscum Regium, sed altos etiam Justitianos succedere debere. Fortiùs igitur suo Regi hoc Jus asserturus, excipiendo quasi à regula, peculiare Jus Albinagij esse dicit, quò solus Rex seu fiscus Regius succedit, *Car. Molin. Conf. alm. Paris. urb. ad §. 30. item le vassal. 182. Et Papon. l. 5. tit. 2. arr. & seq.* explicatissimè docet; quòd Jure Albinagij bona albinorum tanquam vacantia deferantur ad solum Regem, exclusò alto Justitiano, in cujus terris defunctus albinus habitabat, bonaque ipsius sita erant. Quæ insignis est differentia inter generale Jus vacationis, quod Galli vocant *droit de desherance*; & nostrum speciale Jus Albinagij. Illo enim, quod diximus, hæreditas vacans defertur in Galliâ ad altum Justitiarium; ita ut si originarius Regni decedat sine testamento & successoribus ab intestato, ejus vacantem hæreditatem capiat non Rex, sed altus Justitarius illius terræ, in quâ habitabat, bonaque possidebat: Hôc autem ad bona albinorum quasi vacantia vocatur solus Rex, seu fiscus Regius, quod dicit *C. Molin. d. l. & præter cit. Pap. confirmant Bern. de Girard. all. l. 3. de l' estat & succèss. des affaires de France, fol. m. 403. & P. Greg. Synt. jur. univ. all. l. 3. c. 12. §. 12.* Et ampliatur *sec. Pyrrh. & Corm. dd. loc.* hoc procedere (1.) etiamsi quis jure regnicolatûs donatus decedat intestatus, nullis relictis cognatis originariis regni. Quamvis enim hoc casu dicendum esset, Jus Albinagij omninò peremptum fuisse rescripto naturalitatis, atque adeò, si hujusmodi adoptivus civis vacantia bona relinquat, non amplius Regem Jure Albinagij, sed altum Justitiarium Jure vacationis succedere debere: Attamen contrarium obtinet, ex hâc ratione, quòd Jus Albinagii non omninò extinguatur rescripto naturalitatis, sed tantùm cesset, seu dormiat, quamdiu civis naturalisatus potest facere testamentum, vel decedere intestatus, relictis cognatis originariis. (2.) Procedit, non obstante alienatione Juris Albinagij, quam Rex contulisset in quendam altum Justitiarium: nec obstante consuetudine, quantumvis immemoriali, vel etiam propriâ illius loci, quam in contrarium allegaret ille Justitarius: cum nihil consuetudo possit adversus Jus Albinagij, *per allegg.* Ex quibus dictis falli nobis videtur Bodinus, qui ut quondam

G Romani

Romani peregrinorum, quos in clientelam suam receperant, hæreditaria bona Romæ relicta, more majorum capiebant: ita quoque hodie in Galliâ, perinde ut in Angliâ privatos quoque peregrinorum, qui in suæ jurisdictionis finibus moriuntur, capere hæreditates, d. l. asserit. Si enim ipsi alti Justitarii, qui aliàs regulariter jus capiendi bona vacantia in Galliâ habent, hîc excluduntur, quidni multò magis privati, nullâ prorsus Jurisdictione muniti?

§. 3. Et quidem, quod diximus, succedit fiscus in bona albinorum, quasi vacantia, quod exprimit *P. Greg. alleg. l. §. 12.* Ubi particula, *quasi*, ex frequenti suo usu nota est & improprietas & similitudinis. Improprietas in hoc, quòd hæc bona albinorum non sint verè vacantia, exstantibus justis & legitimis hæredibus, qui de jure debebant succedere: Similitudinis verò, quòd, dum per fictionem Juris exstantes albinorum hæredes annihilantur, seu pro nullis habentur, (quòd sint incapaces acquisitionis bonorum) relicta etiam bona vacare intelligantur. Ex quo hoc confectarium est: succedere fiscum in bona albinorum, ut hæredem, non per representationem, sed per annihilationem personæ; quod in genere de confiscante dicit *Panormit. conf. 29.* Quòd si tamen quis hæc albinorum bona malit simpliciter vacantia dicere: quòd vacantia sint, quæ nec de jure nec de facto detinentur ab aliquo, definiente *Rebuff. ad l. 30. de V. S.* non magnoperè digladiabimur.

§. 4. Hoc sanè, quod attingit *Rebuff. ad l. 170. d. t.* executionem meretur: An albinorum decedentium bonis, Jure Albinag. fisco vindicatis, teneatur Princeps, & maximè Rex Galliæ solvere æs alienum? Est hæc quæstio hypothetica, quæ nititur suâ thesi, quâ quæritur; An & quatenus fiscus teneatur ad onera? Pro cujus curatori doctrinâ brevissimè tres principales casus notandi sunt: quòd fiscus capiat aut ex confiscatione, aut ex vacatione, aut ex institutione. Primo casu res plana est per *l. 2. C. de vi publ. & l. si ut proponis. C. de bon. præscr.* Quod ita etiam in Galliâ constitutum esse à Rege Philippo Pulchro, meminit *id. ad l. 21. d. t.* Secundo casu negat absolutè *Rebuff. d. l. 170.* fiscum ad onera teneri, ita ut neque ad præstationem legatorum vel fideicommissorum, ac etiam libertates teneri statuatur, per *l. quod D. Marco. 50. ff. de manum. test. l. ergò. 4. §. eadem. de fidei. libert.*

libert. citatque ad hoc Alexandrum dicentem, quòd hæc sententia communiter recepta sit. Vereor tamen, ne & hòc casu affirmativa verior sit, per expressas *l. 11. & 17. ff. de iur. fisc. l. 8. §. 1. qui test. fac. poss. Geil. l. 2. obs. 86. n. seqq.* ita ut nullo privilegio adversus creditores gaudeat, præterquam in casibus in jure expressis *l. 3. C. de fisc. usur. l. fin. C. de iur. fisc. l. 1. C. de petit. hered.* Nec huic sententiæ contrariantur *alleg. à Rebuff. text.* cùm talia sint subjecta, qualia permittantur esse à suis prædicatis. Tertiò & ultimò casu unanimis est DD. conclusio, quòd fiscus ex institutione veniens, teneatur in solidum ut hæres, & ex quasi contractu, sicut alius privatus. Ab hac thesi ad hypothesein progrediendo, repudiatâ negantium sententiâ, subscribimus Rebuffo, aliisque ab ipso citatis; qui quidem in thesi de vacantibus delatis non teneri ad onera fiscum arbitrantur: in hypothesei autè planè affirmant, teneri Regem Galliaë de bonis albinorum, quasi vacantibus, solvere omne æs alienum, nec quicquam de his sibi jure vindicare posse, nisi quod creditoribus superfuturum fuerit. Quod autem de ære alieno hîc dicitur, cave in hypothesei ad alia etiam onera, ut legata & fideicommissa extendas; quæ verè in puncto Juris Albinagij fiscum non obligant, ex eâ ratione, quòd albini legandi jure prorsus destituantur.

CAPUT VIII.

De objecto, in quod Jure A. succeditur.

§. 1. **S**ubjectum recipiens excipit Objectum, in quod Jure Albinagij succeditur. Hoc in definitione constituimus *bona albini defuncti.* Quæ *bonorum* appellatio hîc, sicut hæreditatis, universitatem quandam ac jus successionis, non singulas res demonstrat, *l. 208. ff. de V. S.* ita ut hæc generali appellatione, mobilia pariter & immobilia, jura & actiones, imò & nomina debitorum hîc comprehendamus, *per l. 49. in fin. ff. d. r. l. moventiũ. eod. l. 1. §. solent. de off. præf. urb. l. 1. de vi priv. l. nomen. C. qua res pign. obl.* Et licet in odiosis, ubi stricta ratio procedit, *annot. Rebuff. ad all. l. 49.* latissima hæc hujus vocabuli acceptio non admittenda sit: est tamen minimè dubium, quin in hoc nostro Juris articulo, ut ut odioso, hujusmodi extensio omninò locum in-

veniat; aded, ut ne legitima quidem excipiatur. Quod quamvis durissimum videatur, & fortè rationibus impugnari posset; in praxi tamen, quæ quibuscunque rationibus fortior, ita obtinere testatissimum est.

§. 2. Limitatur verò dicta Conclusio (1.) ut tantum procedat de bonis in regno peregrino sitis: non etiam de iis, quæ extra illud regnum albinus in loco nativo possidet. *Conf. sup. c. 6. §. 4.* Et est hujus evidens ratio, quòd bona soleant & debeant sequi conditionem personæ, tanquam accessoria, *l. per curatorem. 90. ff. de acquir. hered.* At alia prorsus est albini conditio in loco nativo, quàm in regno peregrino, Ergò. (2.) Limitatur tantum procedere de bonis albini defuncti, non etiam viventis. Habet quippe albinus, quod supra notavimus, liberè de suis rebus vivus disponendi facultatem: At hoc nullo modo liceret, si & bona albini viventis Juri Albinagij subjacerent. Hinc τὸ *formale* Juris Alb. discere licet: non censerì antè bona albini objectum hujus juris, nec ullum priùs fisci jus esse, quàm ipse albinus excesserit. (3.) Excipitur dos uxoris originariæ. Notanter verò dicimus, uxoris originariæ: cùm si uxor æquè ac maritus albina sit, hæc exceptio locum non mereatur, nec ulla habeatur ratio, sintne bona regno illata ex dote uxoris albinae, an aliunde profectitia. Ut exinde ad hoc, ut dos conservetur, necessariò requiratur, uxorem sub excessum mariti albini esse regni civem. Quod ampliatur procedere de donationibus à viro albino in uxorem originariam collatis: non quidem ex generali illâ ratione, quòd dotis augmentum iisdem privilegiis frui, ac eodem censerì debeat jure, quò dos, tanquam portio quædam dotis, *l. inter socerũ. 26. §. 2. ff. de pact. dotal.* sed ex speciali illâ; quòd albinus liberè donationes inter vivos faciat, nec unquam hæ donationes post ejus mortem à fisco revocari possint, nisi si factæ fuerint in fraudem hujus juris. Alia tamen est ratio mutuarum donationum in casum supervitæ: cùm conjuges peregrini possint quidem facere mutuas donationes in casum supervitæ, sed ususfructus tantum jure, non proprietatis, ut censet *Papon. all. sep. l.* (4.) Restrigitur hoc Jus apud Anglos; ut proximos peregrinorum suppellectilem ac pecuniam capere permittant; de quo *conf. supr. cap. 4. §. 3.*

CAP.

C A P. IX.

*De peculiari consequente Juris Alb.
in Germania effectu.*

§. 1. **E**X haftenus, opinor, traditis, quos qualesvè Jus Albinagij potissimum gignat effectus, nemini ignotum esse potest. Restat, ut de singulari, quem non per se, sed ex accidenti producit, paucissima adjungamus effectu: quem dicimus *Jus Retorsionis*. Cùm enim Germania nostra, quod supra retulimus, ex suâ æquitate Jus Albin. non admitteret, & tamen cives suos, ingenti suo damno, huic juri subjici quotidie experiretur, injuriam pati nescias, de optimo & nunc communi Gentium remedio cogitavit, ut quod juris alter in ipsam statueret, eodem illa jure uteretur. Quod Jus Retorsionis in hoc præprimis nostro negotio aded suâ æquitate radiat, ut nullis, qualia etiam fuerint, in contrarium allatis obfuscariqueat argumentis. Et rectè quidem (ut *Clariss. Thomingii verba decis. 26. §. 6.* hîc mea faciam) tunc concedenda est retorsio, quando in extraneos potissimum (prout in hoc Juris articulo) aliquid est statutum. Nam cùm iniquum sit, extraneis non idem, quod civibus licere, & in eorum odium statutum sit introductum: par est, ut idem jus in Magistratus illius loci retorqueatur *Conf. plurib. de æquit. Jur. Retors. differ. Berlich. part. 3. conclus. § 1. §. 2. & seqq.*

§. 2. An verò, sicut in Gallia Jus Albinagij non nisi solus Rex sibi vendicat, ita quoque in Germaniâ seu Terris Imperii Jus Retorsionis non nisi summo Principi seu Imperatori: Vel inferioribus etiam Principibus ac Civitatibus competat? non difficile est judicare. Multùm etenim hîc, sicut in sexcentis aliis, Germaniæ nostræ Status à Galliæ discrepat: ut in illâ non solus Imperator, sed cæteri quoque Imperij Principes pro illimitato suo superioritatis territorialis jure, hoc Retorsionis Jus sibi vindicare consueverint. De civitatibus; discernimus Liberas Imperiales à municipalibus, & pernegamus, quoad Albinagii casum (alios excipimus, quos refert *Berlich. all. concl. §. 8. & seqq.*) posse Magistratum Civitatis Municipalis Jure Retorsionis uti; ex rationibus, quas brevitatis studiô conflictui reservamus. De Liberis Imperialibus dubium non est, quin hîc Jure rectè utan-



tur : & exstat recens exemplum, quô non ita pridem in hoc genere Inclytus Senatus Argentoratensis usus est. Homo quippe Galluscupedinarius, ex Campaniâ Galliæ (vulgò Champagne) in quâ Jus Albinagii exercetur, oriundus, excesserat Argentorati, præmortuis, quam civem duxerat, uxore & liberis, nullisq; præterea legitimis, qui quidem cives essent, hæredibus relictis: ita ut ab intestato vocarentur soli cognati albini, in Campaniâ degentes. Advolavêre hi confestim ad mortis famam Argentoratium, petituri ex voto, cognati sui relictam hæreditatem. Negavit ad horum instantiam Illustris Senatus, ipsis, tanquam albinis, quicquam deberi; sed quæcunq; relictæ essent bona, quæ satis ampla fuerant, Reipubl. cedere. Objecêre hi quidem primitus, non licere Senatui Argentoratensi in hoc Juris articulo retorquere: sed sufficientissimè edocti fuêre, eodem Argentinensem Senatuum in suo territorio, quô Regem Galliæ in suo Regno, uti posse jure; & quamvis non Jus Albin. meritò tamen æquissimum Retorsionis Jus sibi vindicare. Atq; ita attributâ prædictis Campanis, non quidem ex debito, sed ex aliâ concurrente causâ, exiguâ aliquâ parte bonorum, reliqua pars maxima Reipubl. cessit.

C A P. X.

De contrariis seu causis destructivis Jur. Alb.

§. 1. **M**odus perpetuus est Jctis, ut expositis iis, quæ ad constitutionem alicujus rei faciunt, subjiciant cõtraria, sive ea, quæ ad ejus rei dissolutionem pertinent. Cùm itaq; hætenus, quâ potissimû ratione Jus Alb. constituatur, docuerimus: reliquû est, ut tandè, quibus modis illud solvatur, concisâ brevitate tradam⁹.

§. 2. Prima itaq; primaria, ac adæquata causa destructiva Juris Alb. sunt *literæ naturalitatis*, Gallis, *lettres de naturalité*: quæ teste *Connan. l. 9 c. 4. n. 7.* sic appellantur, quòd harû beneficio albini in eadem cum iis, qui nati sunt in regno, jura & privilegia cooptentur. Bald. dicit de jure vocari *literas civitatis cons. 123.* Aliis dicuntur: *Rescriptum naturalitatis, Jus civium, Jus regnicolatûs, Donatio Juris regnicolatûs, Rescriptum civile, Rescriptum civilitatis, Affiliatio, Naturalisatio, Adoptio Regia, Diploma legitimatorium, Diploma Principis, quò quis regnicolis inseritur*: qui omnes termini pro verè æquipollentibus in hoc Juris articulo habentur;

§. 3. Fa-

§. 3. Faciunt verò DD. nec incommodè, duplex hoc naturalitatis rescriptum: unum *speciale*, alterum *generale*. Speciale vocant, quod alicui albino à Principe conceditur ad obtinenda in regno officia seu beneficia, quorum alioqui omnes peregrini sunt incapaces, per ea, quæ trad. *supr. c. 6. §. 1.* Et hoc speciale naturalitatis rescriptum strictissimè accipiendum est, nec ultra finem, ad què fuit concessum, extendendum: adeò ut etiamsi beneficio hujus specialis rescripti albinus ad maximam & illustrem prorsus dignitatè pervenisset, non tamè per hoc, non accedente ulterius generali civilitatis rescripto, de acquisitis in regno bonis per testamentum disponere, aut ab intestato justis hæredibus relinquere possit, *de quo conf. supr. all. c.* Hinc generale naturalitatis rescriptum (quod collatà in ærariū certâ pecuniæ summâ impetratur, *Bodin. d. l.*) definiunt; quò albinus donatur à Principe simpliciter jure Regnicolatûs, ad hoc, ut ad instar veri & originarii civis, extinctò Jure Alb. testamentum condere, ac in bonis intra regnū sitis, succedere valeat activè & passivè, & in eo sacerdotia seu beneficia Ecclesiastica obtinere, docente *C. Molin. consu. atm. Paris. urb. all. rubr. gl. 1. in verb. le seigneur fœdal. n. 73.* Unde hujus generalis rescripti, quatuor principales & magni momenti effectus notamus: (1.) ut albini officia & beneficia in regno obtinere valeant. (2.) ut liberè possint testari de omnibus, quæ in regno habent, bonis. (3.) ut sui cognati collaterales, modò sint originarii, seu regnicolæ, aut jure regnicolatûs donati, succedant, etsi intestati decesserint, *Conf. supr. c. 6. §. 3. & 4.* (4.) Ut ipsi succedant vice versâ ab intestato suis illis cognatis, aliisve ex testamento. *Papon. dict. not. 3. cit. tit.*

§. 4. Non leve autè circa hoc exsurgit dubium: An præter quatuor enumeratos effectus, qui non nisi Jus Alb. respiciunt, nihil ampli⁹ rescriptum illud naturalitatis operetur, ita ut hujusmodi adoptatus civis aliorum quoq; civitatis juriū, quibus originarii gaudent, haut particeps reddatur? Et omninò dicendum videtur, nec quicquam præter enumeratos effectus rescriptum hoc naturalitatis operari, quòd (1.) istud rescriptum nō possit excedere suos terminos, & ad què indultum est finè. (2.) Quòd hujusmodi adoptivi cives per fictionem tantum cives habeantur, *Bald. in Auth. ad hæc C. de usur. & in l. cives. 11. C. de appell.* (3.) Quòd in materiâ odiosâ, qualis est privilegij, nunquã fieri debeat extensio de casu vero ad fictum, adeò ut privilegium vel statutum de civibus loquens, intelligi tan-

gl tantum debeat de civibus originariis, non adoptivis, *gl. ult. in l. fin ff. de tut. & cur. dat. ab his. Bald. in auth. sed omnino. C. ne ux. pro marit. Boër. decis. 13. n. 24. Ant. Fab. ad lib. 6 C. tit. 19. def. 17. (4.)* Quod olim assumpti in civitate Rom. ut cives, domicilium quidem ac tribum, juraque civitatis, i. e. libertatem non agnoscendi superiore Pop. Rom. sed non simul jura Quiritum consecuti fuerint. Verum enim vero, quicquid etiam haec argumenta suadere videantur, aut alias in thesi sua quodammodo veritate nitantur: contrarium tamen in hypothesis ex receptissima praxi verum est, ita ut hujusmodi cives ex privilegio seu diplomate legituario Principis effecti, omnibus commodis favoribusque fruantur, quibus ipsi cives originarii. Nec obstant doctrina Paponij, tradita *supr. c. 6. §. 5. & specialissima Mediolani & Bononiae statuta, quae ref. Boër. all. dec. §. 29.* quod in discursu evincere sustinebimus.

§. 5. Secunda, sed inadaequata, causa destructiva Iuris Alb. est praescriptio contra fiscum. Et quidem, si delata fuerint albini bona, & admonitus de his, fiscus non petierit, de Iure Civili praescribentur contra fiscum quadriennio, *l. 1. §. Divus. 2. ff. de Iur. fisc.* si non delata sint, viginti annis, *d. l. §. praescriptio 3. eod. tit.* Caeterum cum in Gallia omnes praescriptiones sint uniformes, & redactae ad praescriptionem 30. annorum, *attest. Chassan. rubr. II. des cens. §. II. Verb. & semblablement se fera au regard n. 20.* non aliud etiam in hoc Iuris articulo statuendum arbitramur, quam ut in utroque allegato casu triginta annorum cursus ad praescriptionem contra fiscum requiratur: quemadmodum ipse *Chassan. h. m. concludit all. rubr. & §. n. 22.*

§. 6. Tertia, secundum Bodinum, causa destructiva hujus Iuris est praescriptio Incolatus: quod ex mente Ictorum, quos allegat *Bart. Bald. Paul. de Castr. Alex.* satis sit ad legata vel hereditates capiendas tempus praescriptum (decennium, *l. nec ipsi. 2. C. de Incol.*) in aliena civitate egisse, ne sc. testamenta rumpantur, aut legata peregrinis (quos divina lex non minore caritate fovere, quam viduas & pupillos jubet) fiant caduca. Verum quicquid hic in thesi philosophetur Bodin. contrarium in hypothesis testatissimum est, ut nullam unquam, nisi quae immemoriali forte tempore niteretur, Incolatus praescriptione Ius Alb. in albinis exspiret. Et qui illud Ius tantillo temporis spatium exspiraverit, quod nullam, quantumvis maximam & illustri dignitate; imò ne speciali quidem naturalitatis rescripto tolli potest? *Boër. all. dec.*

§. 7. Haec sunt, quae hac vice de graviss. hoc Iuris artic. cathedrae Inaugurali destinavimus. Nuda tantum, quae delibavimus, hic rei capita cernis. Ampliora, quod praefati fuimus, tempus, materiae conditio, praefixus scopus, alia, impresentiarum haut indulgere: Annue nunc, aequissime Lector, nostro, quod ingeminamus voto; & sicubi nos Tibi lapsi videmur, tuo iudicio, saltem non mordaci, emenda.

F I N I S.

M. M. II, 53.
h. 8, 4.

JU

MAG
JURIS

Summ

IN S

21)
GURALIS

LIBI-

m. de success.

BILISSIMI
COLLEGII
ORUM

A
s & Privilegia

CONSESSU
ANN,

PE RI.

F.

II R
2656

